

Kazimierz Nasiłowski

De potestate sacerdotali secundum Gratianum : (continuatio)

Prawo Kanoniczne : kwartalnik prawno-historyczny 20/3-4, 11-45

1977

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](#), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

KAZIMIERZ NASIŁOWSKI

DE POTESTATE SACERDOTALI SECUNDUM GRATIANUM

(*continuatio*)

Caput quartum

**DE POTESTATUM DISTINCTIONE POTESTATIS NON
SACRAMENTALIS NOMINE EFFECTUS APPELLATAE PECULIARI
RATIONE HABITA**

Gratianus postquam in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi inter potestatem distribuendi sacros ordines et exsecutionem huius potestatis distinxit, et postquam officium et exsecutionem officii ex consecratione seu unctione sacerdotali vel episcopali in Ecclesia catholica peracta accipi asseruit, addit: „Recedentes uero ab integritate fidei, potestatem acceptam sacramento tenus retinent, effectu sueae potestatis penitus priuantur, sicut coniugati ab inuicem discedentes coniugium semel initum non dissoluunt, ab opere tamen coniugali inueniuntur alieni.”

**I. De significatione nominis effectus in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1
adhibiti ratione quaestioneis ibidem examinatae considerata**

Imprimis problema de distinctione potestatis sacerdotalis in dicto p. c. 97 C. I q. 1 allato a Gratiano introductum in quaestione de effectu sacramenti ordinis ab haereticis ministrati pertractatum esse animedvertendum est. Opinionis enim a Gratiano defensae de sacramento ordinis ab haereticis ministrato eoque effectu carenti secundum Magistrum sententia Anastasii Papae II de ordinatione ab Acacio haeretico iam damnato collata adversatur.

Haec opinio Gratiani et sententia Anastatii in dicto p. c. 96 C. I q. 1 posito ita refertur: „Quod uero per hereticos sacramenta dignitatis ministrata dicuntur carere effectu, inprobatur auctoritate Anastasii Papae (D. XIX c. 8), qui ordinationem Acacii, quamuis heretici, ita ratam esse approbat, ut etiam eis, quos post damnationem suam baptizauit, uel ordinauit, in nullo ream personam non cuisse asserat.”

Gratianus hanc sententiam Anastasii in eodem dicto ita refutat: „Sed hoc eum illicite, et non canonice, imo contra decreta

suorum predecessorum et successorum fecisse, probat Felix et Gelasius, qui Acacium ante Anastasium *excommunicauerunt*, et Hormisda, qui ab ipso Anastasio tertius eundem Acacium *dampnauit*.¹

In dicto autem p. c. 7 D. XIX adiuneto Gratianus supra memoratam auctoritatem Anastasii II introducens eamque decretis Patrum et praeceptis evangelicis contraria m esse asserens ita scribit: „Anastasius enim secundus fauore Anastasii imperatoris, quos Acacius post sententiam in se prolatam sacerdotes uel Leuitas ordinauerat, acceptis offitiis rite fungi debere decreuit...”

Ex his apparet effectum sacramenti ordinis secundum Gratianum in administratione sacerdotalium officiorum permissa constere, Magister enim in quaestione de effectu sacramenti ordinis examinata Anastasio Papae ex eo obicit, quod iste ordinationem an haeretico damnato collatam ita ratam esse approbaverit, ut sic ordinati officiis suis rite fungi possint.

Deinde Gratianus thesi suae de sacramento ordinis ab haereticis ministrato eoque effectu carenti a dem ratione ut praefatam auctoritatem Anastasii, sic auctoritatem Augustini in C. I q. I c. 97 relatam opponit, in inscriptione huius capituli asserens: „Item obicitur illud Augustini ad Parmenianum de hereticis etiam dampnatis...”

Cum igitur cuncta quaestio a Gratiano examinanda de effectu sacramenti ordinis ab haereticis ministrati considerata sit, et Magister in solutione huius quaestionis in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. I allata de sacramentali ordinis potestate haereticis habita non dubitet, immo hanc potestatem in sacerdotibus haereticis inesse asserens eis tantum potestatem non sacramentalem nomine *executionis* cum nomine *effectus* promise adhibito vocatam abuidet, inde consequitur, ut nomine *effectus* in sacramento ordinis ab haereticis ministrato secundum Gratianum potestas non sacramentalis ab eiusmodi sacerdotibus non habita comprehensa sit.

Quia tamen in ipsa notione potestatis sacerdotalis a Gratiano variis nominibus descriptae recte intelligenda significatio nominis *effectus* magni momenti est, et quia Magistrum de effectu sacramentorum saepe diversis in locis disseruisse constat, significatio nominis *effectus* maioris certitudinis assequendae causa etiam ratione aliarum Gratiani enuntiationum consideranda est.

II. De gratia et potestate sacerdotali non sacramentali nomine *effectus* denotata

Ad significationem nominis *effectus* quod attinet, Gratianus disserit: de *effectu Eucharistiae*, de *Eucharistia effectum salutis*, i. e. gratiam non conferenti¹, et de *effectu unctionis*, i. e. ordinis, gra-

¹ Dictum Gratiani p. c. 95 (palea) C. I q. 1; vide supra, pag. [53—54] nota 16.

tiam huius sacramenti comprehendenti². Magister nomine effectus *praemium aeternae salutis vel virtutem sacramenti*³, i. e. gratiam comprehensam esse intelligit.⁴

Secundum Gratianum effectu sacerdotalis unctionis, i. e. sacramenti ordinis plus comprehenditur, quam effectu sacramentorum necessitatis⁵. Baptismus namque a quovis ministratus effectu non caret, Eucharistia autem ab haeretico ministrata letalem effectum

² Dictum Gratiani p. c. 98 C. I q. 1: „Constat ergo, ut Innocentius (cf. C. I q. 1 c. 17 et c. 73) ait, de ceteris hereticis, ordinatos a symoniacis per prauam manus impositionem symoniaca uulneratum habere caput. § 1. Sed obicitur, quod in ordinatione symoniacorum hoc solum reprehensibile inueniatur, quod *gratia Spiritus sancti* sub pretio redigi putetur, aliorum autem in omnibus integra forma sacramentorum seruetur. Cum ergo illicita sacramenti usurpatio per *penitentiam* correcta fuerit, ut *gratia Spiritus sancti* gratuita et non uenalis existimet, *integer* debet adesse *unctionis effectus*; imo etiam, si non sequatur penitentia, licet symoniace, tamen reuera consecratus reputetur, sicut illi, qui quondam nonnisi pretio dato, ad sacri baptismatis regenerationem, nec ad sanctae communionis participationem admittebantur, licet symoniace, tamen non ideo minus baptizati, uel sacrae communionis participes reputati sunt. Sed hoc tantum sacris canonibus constitutum est, ne de cetero sacramenta Christi symoniace distribuantur.”

³ Dictum Gratiani p. c. 14 C. XXVIII q. 1: „§ 2. Item cum dicitur: ‘non est uera pudicitia hominis infidelis cum coniuge sua’, negatur pudicitia esse uera quantum ad *effectum*, ad *premium uidelicet eternae salutis*. Sicut enim apud hereticos sacramenta negantur esse uera, non quantum ad formam, sed quantum ad uirtutem sic et uirtutes negantur apud infideles esse uerae, non quin uerae sint in eis, iuxta illud Ieronimi: ‘Virtutibus Romani promeruerunt imperium’, sed quia *effectu* *carent eternae salutis*”. — Dictum Gratiani p. c. 44 D. III dp.: „§ 2... Quod autem in fine obicitur: Si satisfactio illa fuit, ueniam inpetrauit; si autem ueniam non inpetrauit, satisfactio non fuit; si autem satisfactio non fuit, adhuc sibi pena inponenda est, non procedit argumentatio; satisfactio namque est, dum exciditur illius peccati causa, et eius suggestionibus aditus non indulgetur, sed eius fructus non percipitur, impeditus peccato, quod nondum deseritur. Percipietur autem, cum eius penitentia fuerit subsecuta, sicut ad lauacrum accedens regenerationis accipit sacramentum, non tamen in Christo renascitur; renascitur autem *uirtute sacramenti*, quod percepereat, cum fictio illa de corde eius recesserit ueraci penitencia.”

⁴ Dictum Gratiani p. c. 7 D. IV dp.: „§ 1. Hinc Augustinus in epistola ad Chorinihos (I Cor 10, 5): ‘Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo’, etsi in aliquibus. Communia omnia sacramenta, sed non communis *gratia*; ita et nunc baptismus communis est, sed non *uirtus baptismi*. § 2. Verum hoc de fictie accendentibus, uel de his, qui extra ecclesiam baptizantur, intelligitur, qui *sacramenti* quidem *integritatem* accipiunt, *uirtutem* uero eius minime assecuntur...”

⁵ Dictum Gratiani p. c. 106 C. I q. 1: „Sicut ergo hec sacramenta, licet symoniace ministrentur, tamen *effectum benedictionis* conferunt accipienti, sic et *sacerdotalis unctionis*, licet symoniace ministretur, suo tamen non debet carere *effectu*. Sed, sicut supra dictum est (cf. dictum Gratiani p. c. 39 C. I q. 1 relatum), illa sacramenta sunt necessitatis, hec dignitatis, et ideo priuilegia eorum non possunt generare communem legem istorum. Habent ergo symoniaci *uulneratum caput*

habet, qua de causa a fidelibus recipienda non est⁶. Si autem Eucharistia ab haeretico ministrata fidelibus recipi prohibetur, inde sequitur, ut haereticis eam ministrare prohibitum sit, idcirco haeretici sacerdotes potestatem Eucharistiam administrandi non habent. Quia autem secundum Gratianum haeretici sacramentalem ordinis potestatem retinent, atque sacramenta ab eis ministrata valida sunt, potestas, quam haeretici non habent, non sacramentalis est.

Secundum Gratianum sola gratia ordinatis in haeresi et ad Ecclesiam redeuntibus recuperata ad effectum eorum ordinationis plene assequendum non sufficit, permissio enim sic recepti ordinis administrandi ex Ecclesia dependens necessaria est⁷.

De hoc etiam ex dicto p. c. 97 C. I q. 1 allato patet. Gratianus enim in principio, et in § 1 eiusdem dicti assertiones Augustini de sacramentis ab haereticis celebratis ratione sui validis, sed tantum gratia destitutis, praemittit. Deinceps in § 2 eiusdem dicti Augustino ex similitudine sacramentorum baptismi et ordinis de potestate sacerdotali consecratione danda haereticis non amittenda concludenti repugnat, ius dandi baptismum, ius consecrandi Eucharistiam, et largiendi sacros ordines plurimum inter se diffiri asserens. Hanc autem oppositionem suam Magister exemplo potestatis non sacramentalis sacrificandi et sacros ordines largiendi consecratione provenientis sacerdotibus suspensis, degradatis, et

per symoniace manus prauam impositionem. Hoc autem de illis intelligitur, quos nec excusat ignorantia, nec attractionis uolentia, qui ab illis ordinantur, quos indubitanter sciunt esse symoniacos, siue symoniace siue non symoniace ordinentur ab eis. Ut enim Nicolaus Papa distinguit, alii symoniace ordinantur a symoniacis, alii symoniace a non symoniacis, alii non symoniace a symoniacis.”

⁶ Dictum Gratiani p. c. 39 C. XXIV q. 1: „Sed istud Augustini intelligitur dictum non propter sentenciam, cuius potestas nulla est extra ecclesiam, sed in detestatione criminum, que in hereticis, sicut in catholicis, eque sunt punienda. Potest tamen illud Augustini (princ. c. 97 C. I q. 1: Recedentes a fide nec baptismus, nec baptizandi potestatem amittunt; vide supra, pag. [26] nota 15; vide etiam § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1, supra, pag. 78 relatam, et dictum p. c. 45 C. I q. 1 adiunctum) de potestate baptizandi intelligi, non ligandi, aut soluendi, uel cetera sacramenta ministrandi. Baptisma namque siue ab heretico, siue etiam a laico ministratum fuerit, dummodo in unitate catholicae fidei accipiatur, non carebit effectu. Alia vero sacramenta, ut sacri corporis et sanguinis Domini, excommunicationis uel reconciliacionis, si ab heretico uel catholicis non sacerdote ministrentur, uel nullum, uel letalem habebunt effectum. Unde et ab hominibus fidelibus nullatenus sunt recipienda.”

⁷ Dictum Gratiani p. c. 4 C. I q. 7; vide supra, pag. [59] nota 36. — Dictum Gratiani p. c. 5 C. I q. 7: „Nisi rigor disciplinae quandoque relaxetur ex dispensatione misericordiae. Multorum enim crimina sunt dampnabilia, que tamen ecclesia tollerat pro tempore, pro persona, intuitu pietatis uel necessitatis, siue utilitatis, et pro euenteri...”

depositis amittendae illustravit. Denique in § 3 memorati dicti Gratianus sacramentalem ordinis potestatem eamque inammissibilem nominibus: *potestas distribuendi sacros ordines, officium, et potestas accepta sacramento tenus vocatam a potestate non sacramentali eaque a missibili nominibus: exsecutio potestatis distribuendi sacros ordines, exsecutio officii, et effectus potestatis acceptae sacramento tenus appellata distinguit*, post haec autem in § 5 eiusdem dicti ita scribit: „Quamuis possit generaliter dici, sacramenta, que apud hereticos non aliter quam in ecclesia Dei celebrantur, uera et rata esse quantum ad se, falsa uero et inania quantum ad effectum, et in his, a quibus male tractantur, et in illis, a quibus male suscipiuntur.”

Hisce igitur verbis generalis assertio de sacramentis ab haereticis celebratis iisque effectu parentibus introducitur. Haec autem assertio a prioribus enuntiationibus specialibus in eodem dicto relatis diversa est, ut indicant verba: „Quamuis possit generaliter dici”, i. e. aliter atque hactenus dictum est.

In toto autem dicto p. c. 97 C. I q. 1 posito, nempe ab ipso eius initio usque ad praefata verba: „Quamuis possit generaliter dici”, quibus § 5 incipit, de sacramentis ratione sui validis, de potestate sacramentali, de exsecutione ut potestate non sacramentali intellecta, et de gratia sermo est.

Assertio generalis in § 5 eiusdem dicti a Gratiano posita a prioribus Magistri assertionibus specialibus ratione validitatis sacramentorum ab haereticis collatorum non distinguitur. Namque de eorum validitate sive in assertionibus specialibus, sive in assertione generali idem dicitur. Sed praefata assertio generalis ab assertionibus specialibus etiam ratione potestatis sacramentalis non secernitur. Gratianus enim in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 allati sacramentalem ordinis potestatem recentibus ab Ecclesia retineri asserit, in § 5 autem sacramenta ab haereticis in forma Ecclesiae celebrata ratione sui valida esse affirmat, ex quo procul dubio sequitur, ut haeretici sacramentalem ordinis potestatem habebant, secus enim sacramenta ab eis celebrata valida esse dici non possint.

In assertionibus specialibus praeter sacramenta ratione sui considerata et potestatem sacramentalem, quae sacramento ordinis ita cohaeret, ut amitti non possit, de gratia sacramentali et de exsecutione sacramentalis potestatis ordinis ut potestate non sacramentali intellecta sermo est.

In assertione vero generali in § 5 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi contenta de sacramentorum tantum effectu agitur. Ut igitur in verbo effectus communis character assertio generalis, sic character specialis iisque priorum assertionum specialium proprius in distincta atque separata consideratione *gratiae* et *exsecutionis* in sensu potestatis non sacramentalis intellectae consistit.

Talis significatio assertionis Gratiani in § 5 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi contentae et supra relatae etiam dicto p. c. 45 C. I q. 1 adiuncto probari potest, ubi legimus: „Patet ergo illud Augustini (sacramenta uidelicet Christi per hereticos ministrata suo non carere effectu) non de omnibus intelligi generaliter, sed de sacramento baptismatis.”

Secundum Gratianum igitur assertio Augustini in C. I q. 1 c. 97 relata: „§ 1... nulla ostenditur causa, cur ille, qui ipsum baptismum amittere non potest, ius dandi amittere possit. Utrumque enim sacramentum est, et quadam consecratione homini datur utrumque, illud cum baptizatur, illud, cum ordinatur... § 3. Sicut autem in baptismo est quod per eos dari possit, sic in ordinatione ius dandi est...” de potestate tantum baptizandi non amittenda, non vero de potestate sacerdotali non sacramentali, sive Eucharistiam consecrandi sive sacros ordines largiendi, ex consecratione provenienti intelligenda est, nam hanc potestatem sacerdotes suspensi, degradati, et depositi amittunt, ut legimus in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi⁸.

Cum igitur Gratianus in dicto p. c. 45 C. I q. 1 posito et supra relato assertionem Augustini de potestate consecratione danda haereticis non amittenda de effectu sacramenti baptismi intelligendam esse affirmet, et in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 adiuncti sacerdotibus degradatis facultatem baptizandi non amitti, potestatem vero non sacramentalem aliorum officiorum sacerdotalium ministrandorum, ut Eucharistiam consecrandi vel sacros ordines largiendi, amitti asserat, atque controversiam inter se et Augustinum existentem potestatem consecratione dandam haereticis amittendam vel non amittendam respicientem in quaestione de effectu sacramenti ordinis examinet, Magistrum nomine *effectus* sacramenti ordinis etiam potestatem sacerdotalem non sacramentalem eamque amissibilem denotasse concludendum est.

De significatione nominis *effectus* non solum gratiam, verum etiam potestatem sacerdotalem non sacramentalem significantis etiam ex eo cognoscimus quod Gratianus, ut supra animadversum est, de gratia disserens eam effectum sacramentorum esse intelligit, de potestate vero non sacramentali in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi scribens eam nomine *exsecutionis* potestatis distribuendi sacros ordines vel *exsecutionis* officii vocat, quocum nomine etiam nomen *effectus* promiscue adhibet, eodem modo ut de *exsecutione* potestatis distribuendi sacros ordines, sic de effectu potestatis acceptae sacramento tenus disserens. Ex promiscuo igitur nominis *exsecutionis*, potestatem non sacramentalem, ut demonstratum est, significantis, cum nominis *effectus* usu de potestate non sacramentali utroque hoc nomine a Gratiano denotata patet.

⁸ Vide supra, pag. [44].

Similis casus etiam in § 7 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi habetur, ubi legimus: „...Sciendum uero est, quod sacramenta hereticorum dicuntur irrita uel etiam dampnanda, falsa et inania, non quantum ad se, cum sint sancta et uera etiam ab heretico celebrata, sed quia, cum illicite dantibus perfidis sint ad iudicium, illicite ab eis accipientibus non conferunt Spiritum sanctum” — en effectus sacramenti maxime in sensu gratiae sacramentalis conceptus.

Quam enuntiationem Gratiani haec sequuntur: „Irrita et non uera dicuntur, quia quod promittunt et conferre creduntur non tribuunt, et ideo dampnanda, ut ea dari uel recipi ab hereticis non approbetur sed interdicatur” — en effectus sacramenti ordinis potissimum in sensu executionis intellectus, i. e. potestatis non sacramentalis et amissibilis in ordinis administratione necessariae.

Talis significatio assertionis generalis in § 5 dicti p. c. 97 C. I q. 1 cententae etiam ex comparatione eiusdem assertionis cum aliis Gratiani enuntiationibus effectum sacramentorum a simoniacis et ceteris haereticis administratorum in C. I q. 1, et effectum sacramentalis haereticorum excommunicandi potestatis, i. e. potestatem non sacramentalem ligandi et solvendi in C. XXIV q. 1. speciali modo respicientibus demonstrari potest.

III. Generalis assertio Gratiani de effectu sacramentorum cum aliis Magistri enuntiationibus comparata

Generalem assertionem Gratiani de effectu sacramentorum in § 5 dicti p. c. 97 C. I q. 1 adiuncti contentam et supra iam relatam cum aliis Magistri enuntiationibus comparantes maioris perspicuitatis causa etiamnum referimus: Quamuis possit generaliter dici, sacramenta, que apud hereticos non aliter quam in ecclesia Dei celebrantur, uera et rata esse quantum ad se, falsa uero et inania quantum ad effectum, et in his, a quibus male tractantur, et in illis, a quibus male suscipiuntur.”

Quid autem nomine *effectus* hic a Gratiano denotatum sit, impribus enuntiationibus Magistri in C. I q. 1 positis demonstrandum est.

A. De specialibus enuntiationibus Gratiani de effectu sacramentorum in C. I q. 1 contentis

Gratianus de sacramentis a sacerdotibus simoniacis et ceteris haereticis celebratis in dito p. c. 29 C. I q. 1 relato agens ea ratione formae vera, ratione autem *effectus* inania et falsa esse

hac de causa asserit, quia *caelestem gratiam* accendere non possunt⁹.

Secundum Augustinum sacramenta instar puri fluvii per lapideos canales ad fertiles areolas pervenientis coinquinari non possunt et a simoniacis celebrata ipsis eorum ministris inutilia et perniciosa, aliis vero utilia et salubria, ergo etiam ratione effectus vera sunt. Gratianus autem inter sacramenta necessitatis et dignitatis distinguens sacramenta necessitatis, ut baptismum, poenitentia peracta rata esse asserit, sacramentum vero dignitatis, i. e. ordinis, si indigne ministretur, desini affirmat, non tamen ita, ut veritas ipsius sacramenti minuatur, sed ut *officium administrandi* hoc sacramentum vel loco vel tempore vel promotione cesseret¹⁰.

Ex his igitur patet effectum sacramenti ordinis non solum in gratia et in facultatibus omnibus fidelibus communibus, verum etiam in ipsa administratione officiorum sacerdotalium permissa vel prohibita consistere¹¹. Sacramentum enim ordinis non solum pro culpa, i. e. ratione gratiae sacramentalis deficientis, sed etiam ratione praerogativae alicuius externae aliquibus non habitae, uti corpore vitialis, denegatur, quibus tamen baptismus vel Eucharistia accipi permittitur¹².

Cetera enim sacramenta unicuique propter se dantur eorumque effectus ex statu morali ea recipientis dependet, sacramentum autem ordinis non tantum propter se, verum etiam propter alios datur, quapropter non solum *puro corde*, verum etiam *sine infamia* scandalum fidelibus efficienti recipiatur necesse est. Hominibus enim

⁹ Dictum Gratiani p. c. 29 C. I q. 1: „Quid in his similitudinibus B. Augustinus notare uoluit, nisi quia sacramenta symoniaeorum (sicut et ceterorum hereticorum) licet sint uera quantum ad formam, inania tamen et falsa sunt quantum ad effectum, cum non possint in cordibus hominum gignere uel accendere celestem gratiam?”

¹⁰ Dictum Gratiani p. c. 39 C. I q. 1; vide supra, pag. [23] nota 6.

¹¹ Dictum Gratiani p. c. 40 C. I q. 1: „Ecce aliquis a pseudoepisopis ordinatus, si locum suae ordinationis mutauerit, *vana* est et *sine* (vana id est sine: Alger. III 56) *amministrione* erit talis *ordinationis*.” — Dictum Gratiani p. c. 41 C. I q. 1: „Ergo aliquis alto tempore ab eo, qui Bonoso sit similis, ordinatus, *cessabit ab amministracione*, que pro necessitate illius temporis fuit permissa.”

¹² Dictum Gratiani p. c. 42 C. I q. 1: „Ecce si clericus uel ordinatione, uel quolibet sacramento hereticis communicat, *cessans a promotione* uix in suo ordine perseuerat. Non est enim de hoc sacramento ut de ceteris; cetera enim uel ad culpas abluendas dantur, ut baptismus et penitentia, uel pro culpis *non in eternum*, sed *ad horam negantur, ut eucharistia*, que in articulo mortis penitenti etiam de nefariis peccatis conceditur: *hoc* solum non solum *pro culpa*, sed etiam *pro infamia interdicitur*, etiam *pro inminuta mundiciae* sua, uel extrinseciae, uel intrinseciae perfectionis *prerogativa*, ut bigamis, uel uiduae maritis, uel illiteratis, uel corporis qualibet parte uitiatis *denegatur*, quibus tamen baptismus uel eucharistia non negatur. Potest etiam talis cuncta sacramenta administrare, qui istud solum *non ualet conferre*.”

non solum *ut praesint*, sed etiam *ut prosint*, sacerdotium confertur¹³.

Gratianus sanctitatem sacerdotum cum eorum praelatione connexam esse debere asserit, et rationem, cur non sancti aliis preferantur, non agnoscit¹⁴, nihil igitur mirum, quod hanc sanctitatem et praelationem alibi communis nomine effectus sacramenti ordinis vocat.

Secundum Gratianum, ut supra dictum est, assertio Augustini de sacramentis ab haereticis ministratis suo effectu non parentibus ex variis auctoritatibus eiusdem Doctoris Ecclesiae a Magistro educta tantum de baptismo, non vero de omnibus sacramentis generaliter intelligenda est¹⁵, baptismum enim ab haereticis collatum *virtute* sua remissionem peccatorum conferre ex aliquibus auctoritatibus concludi potest¹⁶. Sed Gratianus baptizatos ab haereticis sacramentum quidem baptismi accepisse, virtutem autem non consequi asserit, quia sine fide nullus eam consequi potest. Unde et Christus propter incredulitatem aliquorum signa facere non poterat¹⁷.

Secundum Magistrum assertio Augustini de aqua per lapideum canalem ad areolas transienti, qua Doctor ille Ecclesiae effectum sacramentorum illustrat, tantum ad hos refertur, qui cum fidei integritate et animi puritate ab haereticis baptizantur¹⁸. Administratio autem baptismi ita necessaria est, ut etiam a paganis collatus iterari non possit¹⁹, ergo quilibet potestatem baptizandi habet. Cetera vero sacramenta ab haereticis ministrari non possunt²⁰.

¹³ Dictum Gratiani p. c. 43 C. I q. 1; vide supra, pag. [53] nota 16.

¹⁴ Dictum Gratiani p. c. 44 C. I q. 1; ibidem.

¹⁵ Dictum Gratiani p. c. 45 C. I q. 1: „Patet ergo illud Augustini (sacramenta uidelicet Christi per hereticos ministrata suo non carere effectu) non de omnibus intelligi generaliter, sed de sacramento baptismatis.” cf. supra, pag. [97] nta 6.

¹⁶ Dictum Gratiani p. c. 47 C. I q. 1: „Ex his itaque uerbis apparet, baptismus, quod ab hereticis tribuitur, *virtute* sua remissionem conferre peccatorum.”

¹⁷ Dictum Gratiani p. c. 53 C. I q. 1: „Alii (scil. haeretici; KN) formam in baptizando seruant. Sed dum ab eis baptizantur, qui in heresi uel scismate eis communicant, *sacramentum* quidem baptismi ab eis accipiunt, *virtutem* uero non consecuntur, quam sine fide nullus consequi potest. Unde de Domino dicitur, quod in patria sua non poterat facere signum propter incredulitatem eorum.”

¹⁸ Dictum Gratiani p. c. 57 C. I q. 1: „Ceterum, si cum *fidei* *integritate* et *animi puritate* de manu hereticorum aliquis in forma ecclesiae baptismus acceperit, tunc inpletur illud Augustini (cf. C. I q. 1 c. 30): ‘Per lapideum canalem aqua transit ad areolas.’ Et iterum: ‘Spirituallis *virtus sacramenti*, etc.’”

¹⁹ Dictum Gratiani p. c. 58 C. I q. 1: „Ecce quando ab hereticis baptismus cum sua *virtute* accipitur, cuius tam necessaria *amministratio* est, ut nec etiam a paganis datum possit reiterari.”

²⁰ Dictum Gratiani p. c. 60 (palea) C. I q. 1: „Quod autem cetera sacramenta ab hereticis *ministrari* non possint, testatur Ieronimus

Secundum Gratianum vita sacerdotum *effectui Eucharistiae* asse-
quendo, non vero sacramenti huius *confectioni* necessaria est.
Augustinus autem sacerdotem, etiamsi malus sit, tamen *pro officio*
suae dignitatis gratiam hominibus transfundere asserit²¹.

Ut ex his patet, Gratianus in omnibus enumeratis casibus *effec-
tum sacramentorum ratione gr at i a e sacramentalis et p o testa-
tis n o n s a c r a m e n t a l i s* saepe considerat.

In dicto p. c. 96 C. I q. 1 posito Magister thesi suae de sa-
cramento ordinis ab haereticis ministrato eoque effectu carenti,
ut supra animadversum est, ex auctoritate Anastasii in D. XIX c. 8
relata hac de causa obicit, quod iste ordinatos ab haeretico iam
damnato *officiis suis rite fungi* debere decrevit²². In inscriptione
autem c. 97 C. I q. 1 praefatae thesi suae Magister ex
auctoritate Augustini in c. 97 C. I q. 1 relata hanc ob rationem
obicit, quod iste *potestatem consecratione* dandam sacerdotibus
etiam damnatis non amittendam esse dixit.

Assertiones Gratiani de effectu sacramentorum ratione gratiae et
potestatis non sacramentalis consideratae et supra relatae a notione
effectus sacramenti ordinis in dicto p. c. 97 C. I q. 1 annexo
data non differunt. Ut enim in praefatis enuntiationibus, sic in
memorato dicto de gratia sacramentorum, de sacramentorum dis-
tinctione atque diversa in diversis sacramentis administrandis po-
testate necessaria, et de potestate non sacramentali etiam nomine
effectus vocata sermo est.

In memorato enim dicto Gratianus a sacramentis, quae nisi
poenitentia peracta usurpatoribus non prosunt, ergo gratiam non
conferunt, sacramentum ordinis hanc ob rationem distinguunt,
quia ministris indignis, ut suspensis, degradatis, et depositis, non
solum gratia sacramenti deesse intelligitur, verum etiam et potes-
tas non sacramentalis officia sacerdotalia administrandi aufertur,
secus ac potestas baptizandi, quae eis relinquitur.

Deinde Gratianus praefatam thesin suam de sacramento ordinis
ab haereticis ministrato eoque effectu carenti, contra Augustinum
potestatem consecratione dandam haereticis non amitti asserentem

in Aggeo Propheta (cap. 2)." — Dictum Gratiani p. c. 74 C. I q. 1:
„Cum ergo Innocentius solum baptismus hereticorum ratum esse per-
mittat; cum Gregorius sacralegam uocet consecrationem Arrianorum;
cum Ciprianus quecumque ab hereticis fiunt carnalia, inania, et falsa
iudicet; cum Ieronimus omnia, que ab eis offeruntur, contaminata in
conspicu Domini asserat; cum Leo extra ecclesiam nec rata esse sacer-
ditia, nec uera sacrificia testetur: patet, quod sacramenta ecclesiastica
preter baptismus (ut supra dictum est) ac(!) hereticis *ministrari non
possunt.*"

²¹ Dictum Gratiani p. c. 95 (palea) C. I q. 1; vide supra, pag.
[53—54] nota 16.

²² Dictum Gratiani p. c. 96 C. I q. 1. — Dictum Gratiani p. c. 7 et p. c. 8 D. XIX.

demontrans, inter potestatem ordinis sacramentalem et potestatem non sacramentalem distinguit, potestatem non sacramentalem ex consecratione provenientem, ut supra dictum est, nomine *exsecutionis* vocatam recendentibus ab Ecclesia amitti affirmans²³.

Quia autem Magister in distinctione sua inter sacramentalem ordinis potestatem et potestatem non sacramentalem nomine *exsecutionis* appellatam nomine *effectus* potestatis sacramentalis cum eodem nomine *exsecutionis* promiscue utitur, et quia controversiam inter se et Augustinum existentem atque potestatem sacerdotalem respicientem in quaestione de effectu sacramenti ordinis examinat, eum ut nomine *exsecutionis*, sic nomine *effectus* eandem potestatem sacerdotalem non sacramentalem eamque amissibilem appellasse concludendum est.

Quia deinde, ut ex supra dictis patet, Gratianus nomine *effectus* sacramentorum mox gratiam, mox vero potestatem non sacramentalem denotat, et quia in baptismo ab haereticis collato etsi potestas baptizandi non auferatur, *gratia* tamen non datur, in sacramento autem ordinis ab iisdem haereticis collato neque *gratia*, neque potestas sacerdotalis non sacramentalis datur, nihil mirum, quod Magister utramque in sacramentis ab haereticis collatis deficien tem uno commun i nomine *effectus* sacramentorum in § 5 eiusdem dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi generali modo comprehendit ita scribens: „Quamuis possit *generaliter* dici, sacramenta, que apud hereticos non aliter quam in ecclesia Dei celebrantur, uera et rata esse *quantum ad se*, falsa uero et inania *quantum ad effectum*, et in his, a quibus male tractantur, et in illis, a quibus male suscipiuntur.”

Objectioni autem, secundum quam poenitentia peracta effectus ordinationis simoniace collatae instar baptismi vel Eucharistiae simoniace receptae integer esse debet, ergo sanctiones contra simoniacos hanc tantum ob rationem latae sunt, ne sacramenta simoniace distribuerentur²⁴, Gratianus distinctionem suam inter sacramenta necessitatis et dignitatis supra iam peractam repetens et privilegia sacramentorum necessitatis legem etiam pro sacramento ordinis communem generare non posse asserens respondet²⁵.

Ut igitur ex enuntiationibus Gratiani in C. I q. 1 positis patet, Magister nomine *effectus* sacramenti ordinis non solum *gratiam*, verum etiam *potestatem* sacerdotalem non sacramentalem denotavit.

Quia autem Gratianus, qui nomine *effectus* et *gratiam* et *potestatem* sacerdotalem non sacramentalem appellat, in dicto introductorio C. I quaestionem primam infra a se examinan-

²³ Dictum Gratiani p. c. 97 C. I q. 1; vide supra, pag. [11].

²⁴ Dictum Gratiani p. c. 98 C. I q. 1; vide supra, pag. [96] nota 2.

²⁵ Dictum Gratiani p. c. 106 C. I q. 1; vide supra, pag. [96] nota 5.

dam ita praenuntiat: an sit peccatum emere spiritualia, eamque in dicto introductorio q. 1 ut thesin probandam ita ponit: „Quod autem spiritualia emere peccatum sit, probatur multorum auctoritatibus”, inde sequitur, ut in cuncta Quaestione prima Causae primae Magister problema de effectu sacramentorum in sensu sive gratiae sive potestatis sacerdotalis non sacramentalis intellecto, i. e. ratione morali eaque iuridica (nam prohibitio sacramenta administrandi saepe cum culpa morali connectitur), non vero stricte sacramentali, examinet.

Quia deinde Gratianus sacramenta ab haereticis ministrata ratione sui valida, et tantum ratione eorundem effectus invalida, atque sacramentalem ordinis potestatem inamissibilem esse saepe affirmat, necnon in cuncta Quaestione prima Causae primae de effectu sacramentorum disserit, omnes auctoratum sanctiones, etiam illas severissimas, in simoniacos vel haereticos latas, ut: *sacerdos non est*²⁶; *sacerdotii honore spoliatur*²⁷; *benedictio illi in maledictionem convertitur*²⁸; *se noverit anathematis approbrio condemnatum; suscepto honoris gradu privetur; honoris sui amissione mulctetur*²⁹; *nihil ex hac ordinatione vel promotione, quae est per negotiationem facta, proficiat, sed sit alienus a dignitate vel sollicitudine, quam pecuniis acquisivit; proprio gradu decidat*³⁰; *alienus a sacerdotio sit*³¹; *acquisita prorsus dignitate caret*³²; qui studet donum Dei pretio mercari, in sacro ordine nulla ratione de cetero permanere aut revocari posse dubium non est³³; *sacerdotes esse non possunt*³⁴; *dicimus ab haereticis ordinatos vulneratum per illam manus impositionem habere caput; asseritur eum, qui honorem amisit, honorem dare non posse, nec illum aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod ille posset accipere*³⁵; nam et vicesimus nonus canon sanctorum Apostolorum, et Actus eorundem, et tertius et quartus liber Regnorum, alienum omnino a sacerdotio pronuntiant eum, qui aliquando dederit vel acceperit pecuniam in aliquo tempore, sive ante manus impositionem, sive post impositionem³⁶; *anathema sit*

²⁶ C. I q. 1 c. 2; Greg. Papae epist. 106 ao 599 scripta.

²⁷ C. I q. 1 c. 3; canonis huius fons repertus non est.

²⁸ C. I q. 1 c. 4; Greg. Papae epist. 106 ao 599 scripta.

²⁹ C. I q. 1 c. 7; can 3 conc. Tolet. VIII ao 653 habitu.

³⁰ C. I q. 1 c. 8; can. 2 conc. Chalced. ao 451 habitu.

³¹ C. I q. 1 c. 9; Basili eppi (+379) epist. ad suffraganeos.

³² C. I q. 1 c. 10; can. 1 conc. Later. I ao 1123 habitu.

³³ C. I q. 1 c. 11; epist. Tarasii, quae integra legitur inter acta (VI.) conc. Nic. II ao 787 habitu. Sed Gratianus hoc loco Algerum secutus est.

³⁴ C. I q. 1 c. 12; fons huius capitinis epist. ad Mediolanenses est, quam Paschali I supposuit Wido musicus quidam (fortassis Guido Aretinus Camaldulensis monachus).

³⁵ C. I q. 1 c. 18; epist. Innoc. I ad eppos Maced, c. a. 415 scripta.

³⁶ C. I q. 1 c. 21; Tarasii Constantinop, eppi epist. ao 787 scripta.

*danti et accipienti*³⁷; *vana habenda est ordinatio talis*³⁸; *ordinatio-nis tamen ius ulterius non habebunt*³⁹; *nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia*⁴⁰; *constat Eucharistiam fieri apud illos (haere-ticos; KN) omnino non posse; haereticus sacerdotum administrat profanus; omnia quaecumque faciunt haeretici, carnalia sunt, inania et falsa*⁴¹; *extra catholicam Ecclesiam non est locus veri sacri-ficii*⁴²; *periculum subeant proprii honoris*⁴³; *deponatur*⁴⁴; *a proprio gradu decidunt; ab officio male accepto removeantur*⁴⁵; *consecra-tionem omnino irritam esse decernimus*⁴⁶; *damnationis sententiam subeant; privatus propria dignitate persistat*⁴⁷; *damnamus ac de-ponendos apostolica auctoritate sancimus*⁴⁸; *ordinationes falsas esse diiudicamus*⁴⁹; *officii sui periculum subeat*⁵⁰, et his similes tan-tum de effectu sacramentorum a missa gratiam vel potestatem sacerdotalem non sacramentalem denotanti pronun-tiatas esse neque validitatem sacramentorum in se ipsis considera-torum et in forma Ecclesiae a simoniacis vel haereticis collatorum offendere Magistrum tenuisse procul dubio concludendum est. Haec haud parvi momenti conclusio aliis etiam argumentis et rationibus infra probabitur.

Ex regula tamen de praefatis sanctionibus validitatem sacramen-torum in se ipsis consideratorum non minuentibus remissio peccatorum excipitur, quae, si ab haereticis ministretur, quamvis sacramentali ordinis potestate polleant, etiam ratione ipsius sacramenti propter specialem potestatis ligandi vel solvendi indolem, de qua supra sermo erat, invalida est. Quapropter et sanc-tiones remissionem peccatorum a sacerdotibus haereticis ministra-tam respicientes tantum in paucissimis auctoritatibus C. I q. 1, ut in c. 39, contentae in hoc sensu intelligendae sunt.

³⁷ C. I q. 1 c. 22; can. 3 conc. Bracaren. II ao 572 habitu.

³⁸ C. I q. c. 40; Leonis I epist. 167 ao 458 aut ao 459 scripta.

³⁹ C. I q. 1 c. 43; epist. de chorepiscopis, quam Leoni I ante tempora Pseudoisidori suppositam esse constat.

⁴⁰ C. I q. 1 c. 68; Leonis I epist. 80 ao 451 scripta.

⁴¹ C. I q. 1 c. 70; sanctiones in capite hoc relatae ex variis Cypriani epistolis et ex conc. Carthag. ao 256 habito desumptae sunt.

⁴² C. I q. 1 c. 71; c. 15 lib. Sententiarum Prospere Aquitani (+ c.a. 455).

⁴³ C. I q. 99; Gelasii Papae epist. ao 494 scripta.

⁴⁴ C. I q. 1 c. 100; can. 23 sinodi Quinisextae ao 692 habitae.

⁴⁵ C. I q. 1 c. 107; ex Nicolai III epist. qua conc. ao 1059 habitum refert.

Gratianus tamen magis sensum retulit quam verba.

⁴⁶ C. I q. 1 c. 108; cap. 3 et cap. 4 conc. Placentini ao 1095 sub Urbano II habitu.

⁴⁷ C. I q. 1 c. 109; cf. supra, nota 45.

⁴⁸ C. I q. 1 c. 110; cf. supra, nota 45.

⁴⁹ C. I q. 1 c. 113; Greg. VII in sinodo ao 1078 Romae habita, cap. 5.

⁵⁰ C. I q. 1 c. 124; ibidem, cap. 9.

B. De specialibus enuntiationibus Gratiani de effectu sacramentorum in C. XXIV q. 1. contentis.

Ad rem nostram quod attinet, peculiarem attentionem q. 1 C. XXIV meretur, in qua Gratianus de haereticorum ligandi et solvendi potestate disserit. Et sic in dicto introductorio C. XXIV Magister Quaestione primam infra a se tractandam indicat verbis his: an haereticus aliquos officio privare vel sententia notare possit, atque in eadem Quaestione haereticum neminem deponere aut excommunicare posse⁵¹, et excommunicatum alios excommunicare non posse⁵² ex eo probat, quod, qui Spiritum Sanctum, quem nemo nisi in Ecclesia accipit, non habet, peccata tenere vel remittere non potest⁵³.

Ex variis enuntiationibus Gratiani remissionem peccatorum, quia ad ambitum potestatis ligandi vel solvendi pertinentem, ab haereticis ministratam etiam ratione ipsius sacramenti invalidam esse supra concludimus. Quia tamen Magister potestatem ligandi et solvendi haereticis ademptam argumento Spiritus Sancti extra Ecclesiam neque accipiendi, neque operantis probat, baptismus autem vel ordo ab haereticis collati, in quibus Spiritus Sancti gratia similiter non accipitur, ratione ipsius sacramenti validi esse a Gratiano agnoscentur, ex eo consequitur, ut invaliditas sacramentalis remissionis peccatorum ab haereticis ministratae ratione defectionis potestatis non sacramentalis, non vero ratione potestatis sacramentalis, quae inammissibilis est, efficiatur.

Hoc etiam ex eo patet, quod Gratianus de haereticorum excommunicandi potestate disserens eam in sacramentalem ordinis potestatem, quam recedentibus a fide non amitti asserit, et potestam non sacramentalem distinguit⁵⁴, quam nomine executionis potestatis officii, vel administrationis nomine, ut supra demonstratum est, appellat.

Quia igitur Gratianus de haereticorum excommunicandi potestate disserens tantum potestatem excommunicandi non sacramentalem haereticis amittendam esse tenet, et quia id, quod in ambitu excommunicandi vel reconciliandi seu ligandi vel solvendi seu iudicandi haereticis non habetur, mox executionem, potestatem non sacramentalem significantem, mox vero effectum sacramenti ordinis vocat⁵⁵, eum nomine effectus etiam potestatem ligandi vel sol-

⁵¹ Dictum introductorium q. 1 C. XXIV; vide supra, pag. [76], nota 50.

⁵² Dictum Gratiani p. c. 3 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. [76].

⁵³ Dictum Gratiani p. c. 4 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. [76—77].

⁵⁴ Dictum Gratiani p. c. 37 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. [78].

⁵⁵ In § 1 dicti Gratiani p. c. 37 C. XXIV q. 1 relati; vide supra, pag. [78].

vendi non sacramentalem et amissibilem denotasse concludendum est.

Ut ex his patet, in enuntiationibus Gratiani sive in C. I q. 1 sive in C. XXIV q. 1 contentis et supra relatis diversus singulorum sacramentorum effectus, sive ad gratiam sive ad potestatem non sacramentalem quod attinet, consideratur, in assertione vero in § 5 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi de effectu omnium sacramentorum distinctione inter gratiam et potestatem non sacramentalem praetermissa generali modo sermo est.

Et licet haec generalis assertio Gratiani de sacramentis haereticorum secundum formam Ecclesiae celebratis in se validis, ratione vero sui effectus invalidis, in § 5 dicti p. c. 97 C. I q. 1 annexi posita sit, assertiones vero, in quibus de singulorum sacramentorum effectu in particulari sermo est, sive in C. I q. 1 sive in C. XXIV q. 1 sparsae reperiantur, nihilominus tamen omnes eas memorata assertione generali in § 5 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi logice comprehensas esse intelligendum est.

Distinctio igitur inter sacramenta necessitatis et dignitatis, *distinctio* inter potestatem sacramentalem et non sacramentalem eamque autem ratione eius fundamenti alio modo ab Augustino, alio vero a Gratiano intellectam, similiter *distinctio* effectus sacramenti ordinis in gratiam sacramentalem et potestatem non sacramentalem implicite peracta, necnon peculiaris in doles sacramenti poenitentiae ambitu iudicandi comprehensi et generalis assertionis Gratiani in memorato § 5 dicti p. c. 97 C. I q. 1 relatae et multarum aliarum assertorum Magistri specialium sive in q. 1 C. I sive in C. XXIV contentarum, atque supra descriptarum, fundatum et explicatio est, quapropter omnibus iisdem assertoribus recte interpretandis instar regulae et principii cuiusdam communis applicari debet.

Ut igitur sanctiones in auctoritatibus C. I q. 1 in simoniaeos vel haereticos cetera sacramenta ministrantes latae, de quibus supra sermo erat⁵⁶, sic et expressiones Gratiani de potestate ligandi vel solvendi seu excommunicandi vel reconciliandi seu iudicandi in auctoritatibus Decreti fundatae et pariter supra relatae⁵⁷, ut: *aliquis ab haeretico deponi aut excommunicari non potest; antiqua excommunicatione damnatus alios damnare non potest; excommunicatus alios excommunicare non valet; haereticus neminem damnare potuit; prostratus deicere quemquam non potest; is, qui Spiritum Sanctum, qui intra Eccle-*

⁵⁶ Vide supra, pag. [105].

⁵⁷ In dicto nempe introductorio q. 1 C. XXIV, in dictis p. c. 3, p. c. 4, p. c. 37 C. XXIV q. 1 (vide supra, pag. [76—78], et in dicto p. c. 39 eiusdem Causae et Quaestionis; vide supra, pag. [97] nota 6.

siam est, non habet, peccata tenere vel remittere non potest; ii, qui extra Ecclesiam sunt, nec ligare, nec solvere possunt, nec reconciliando ecclesiasticae communioni reddere, nec excommunicando eius societate privare; is, qui ab unitate Ecclesiae, quae per Petrum intelligitur, alienus est, exsecurare non potest, consecrare non valet, excommunicationis vel reconciliationis potestatem non habet; ille, qui ab integritate fidei catholicae recedit, maledicendi vel benedicendi potestatem minime habet, catholicum namque, utpote superiorem se, maledicere non valet, in alienum a fide, tamquam in sibi aequalem, sententiam ferre non potest; haeretici, schismatici et excommunicati ligandi vel solvendi potestatem non habent; haereticus nec deicere aliquem nec damnare valet; de administratione sacerdotibus suspensis interdicta; virtus sacramenti extra Ecclesiam nulli confertur; de sententia iniqua pondere carenti; catholicus sententia haeretici minime tenetur; haereticus oris gladio catholicum ferire non potest, pondus enim auctoritatis ecclesiasticae habere non potest; et de apotestate ligandi aut solvendi vel cetera sacramenta, praeter baptismum, ministrandi haereticis non habita, non nisi de potestate non sacramentali haereticis abiudicata intelligendae sunt.

Simili modo etiam sanctiones auctoritatum Decreti in eadem materia latas, quibus praefatae assertiones Gratiani fundantur, a Magistro intellectas esse concludendum est.

Inter sanctiones tamen C. I q. 1. supra relatas et memoratas assertiones Gratiani in C. XXIV q. 1 positas similibus sanctionibus Decreti fundatas haec differentia est, quod, licet in utroque casu de potestate sacerdotali non sacramentali atque de sacerdotibus simoniacis, schismaticis, et haereticis sacramentali ordinis potestate pollutibus agatur, in ambitu tamen potestatis ligandi vel solvendi seu iudicandi propter solam potestatis non sacramentalis defectionem actus etiam ratione sacramenti invalidus esse denotatur, ut remissio peccatorum, sanctionibus vero in aliorum sacramentorum illicitam administrationem latis sacramentalis validitas actus non afficitur.

Postquam Gratianum in dicto p. c. 39 C. XXIV q. 1. posito assertionem Augustini de sanctione remotionis a clericatu vel degradationis extra Ecclesiam imposita in iisdem clericis in Ecclesia recipiendis tantum ratione criminis commissi detestandi, non vero ratione potestatis non sacramentalis iudicandi quasi extra Ecclesiam agnitae, intelligendam esse explicavit, haec addit: „Potest tamen illud Augustini de potestate baptizandi intelligi, non ligandi, aut soluendi, uel cetera sacra menta ministrandi.” Sententia autem Augustini a Gratiano heic provocata in § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1. positi ut obiectio thesi Magistri ita refertur:

„Recedentes a fide nec baptismis, nec baptizandi potestatem amittunt.”⁵⁸

Ut supra dictum est, Magister hanc assertionem Augustini quaestioni de potestate excommunicandi in dicto p. c. 37 C. XXIV q. 1 pertractandae accommodavit, et dilemmati, utrum recedentes a fide potestatem excommunicandi retineant, an amittant, ope distinctionis inter elementum sacramentale et inamissibile nomine potestatis officii, et elementum amissibile, ergo non sacramentale nominibus execrationis, administrationis, virtutis sacramenti ordinis, auctoritatis ecclesiasticae, et potestatis, promiscue adhibitis vocatum, respondens, in eodem dicto quaestionem solvit.

In dicto autem p. c. 39 c. XXIV q. 1. posito Gratianus praefatam Augustini assertionem de potestate consecratione danda sacerdotibus haereticis non amittenda tantum de potestate baptizandi, non vero de potestate ligandi vel solvendi, aut cetera sacramenta ministrandi intelligendam esse affirmat, hoc modo cunctae obiectioni ex auctoritate Augustini formatae respondens.

Quod autem in assertione Magistri: „Potest tamen illud Augustini de potestate baptizandi intelligi, non ligandi aut soluendi, uel cetera sacramenta ministrandi” in dicto p. c. 39 C. XXIV q. 1 annexo relata etiam de potestate sacerdotali non sacramentali nomine effectus vocata agatur, ex his verbis eiusdem dicti enodari potest: „Baptisma namque siue ab heretico, siue etiam a laico ministratum fuerit, dummodo in unitate catholicae fidei accipiat, non carebit effectu. Alia uero sacramenta, ut sacri corporis et sanguinis Domini, excommunicationis uel reconciliationis, si ab heretico uel catholicis non sacerdote ministrentur, uel nullum, uel letalem habebunt effectum. Unde et ab hominibus fidelibus nullatenus sunt recipienda.”

Ut patet, textus heic allatus duabus partibus constat. In prima earum de baptismis, in secunda vero de Eucharistiae et excommunicationis vel reconciliationis administratione agitur. Deinde in utraque allati fragmenti parte de haereticis et de laicis vel de catholicis non sacerdotibus sermo est. His autem verbis sacerdotes haereticos et laicos sive catholicos sive haereticos appellatos esse ita demonstrari potest.

In laudatis verbis: „Potest tamen illud Augustini (quod scilicet recedentes a fide nec baptismum, nec baptizandi potestatem amittunt) de potestate baptizandi intelligi, non ligandi, aut soluendi, uel cetera sacramenta ministrandi” solutio problematis iam longius perscrutati iterum indicatur et introducitur, quae in utraque praefati fragmenti parte ope distinctionis inter sacramenta et distinctionis inter diversos homines eadem sacramenta ministrantes explicatur. Ex eo autem, quod in memoratae solutionis

⁵⁸ Vide supra, pag. [78].

introductione de potestate sive ligandi vel solvendi sive cetera sacramenta, ergo et Eucharistiam, ministrandi haereticis amittenda agitur, sequitur, ut etiam in ipsa solutionis explicatione in utraque praefati fragmenti parte contenta de eadem potestate amittenda sermo sit. Quia autem cuncta opinione Gratiani diligenter pensata laici nullam potestatem sacramenta, praeter baptismum, ministrandi habent, quapropter nec eam amittere possunt, Magister vero sententiae Augustini supra relatae ratione potestatis amittendae opponit, inde efficitur, ut in utraque supra allati fragmenti parte non solum de laicis, verum etiam de sacerdotibus haereticis congruenter cum sententia Gratiani in § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 positi manifestata, revera potestatem non sacramentalem amittentibus agatur.

Haec conclusio etiam ipsa utriusque praefati fragmenti struc-tura confirmari potest. Namque ut nomina *haeretici* in prima atque secunda perte, sic nomen *laici* in prima, et nomen *catholici* non *sacerdotis* in secunda parte eiusdem textus adhibitum nomina correlativa sunt. Ex eo autem efficitur, ut nomine *haeretici* sacerdos haereticus, nomine vero *laici* et *catholici* non *sacerdotis* *laicus* denotatus sit, secus enim cuncta distinctio inter haereticos et laicos prorsus inutilis et perperam introducta esset.

Ex hoc autem sequitur, ut verbis *vel nullum vel letalem habebunt effectum* duplex sacramentorum effectus vel huius effectus duplex genus, aliud nempe sacerdotes haereticos respiciens seu speciali modo sumptum seu stricte intellectum, aliud vero ad laicos sive catholicos sive haereticos quaevis sacramenta, excepto baptismo, ministrantes spectans idque generali modo seu lato sensu consideratum in casu denotetur.

Differentia igitur inter sacerdotes haereticos et laicos sive catholicos sive haereticos in utraque praefati fragmenti parte assignata admissa, ad sacerdotes haereticos quod attinet, verbis *vel nullum vel letalem habebunt effectum* tantum gratiam et potestatem non sacramentalem, i. e. effectum speciali seu stricto sensu sumptum, cuius defectio sacramentorum administrationem, sola poenitentia suas propriasque ob rationes supra expositas excepta, tantum illicitam, non vero invalidam efficit, denotatum esse admittendum quoque est.

Etsi enim eiusmodi sacerdotes sine potestate non sacramentali Eucharistiam confidere praesumentes damnationem mereantur, neque gratia ex tali consecratione accipiatur, nihilominus tamen sacramentum ratione sui valide conficitur, nam secundum Gratianum sacramenta in forma Ecclesiae a sacerdotibus haereticis celebrata valida sunt.

Huic conclusioni neque ex eo obici possit, quod effectus administrationem sacramentorum a sacerdotibus haereticis peractam tantum illicitam efficiens *nullus* in casu vocatur. Namque similem

assertionem Gratiani, nempe de nulla potestate sacrificandi sacerdoti suspenso vel degradato relicta in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi relatam tantum de potestate non sacramentali non habita intelligendam esse supra demonstravimus.

Ad laicos vero sive catholicos sive haereticos quod attinet, iisdem verbis *vel nullum vel letalem habebunt effectum* de sacramentorum administratione, baptismo tantum excepto cuius in casu necessitatis in forma Ecclesiae conferendi facultas nulli abiudicatur, ab eisdem facta edictis eiusmodi sacramentorum administrationem non solum illicitam, sed etiam invalidam et prorsus nullam denotatam esse intelligendum est. Non est igitur dubium, quin de effectu generali seu late sumpto in casu agatur.

In praefata igitur expressione *vel nullum vel letalem habebunt effectum* verbo *nullus* sacramentorum administratio, excepta penitentia, a sacerdotibus haereticis peracta tantum illicita, sacramentorum vero administratio, excepto baptismo, a laicis sive catholicis sive haereticis facta non solum illicita, verum etiam invalida assignatur, verbo autem *letalisi* ipsius delicti praemium, i. e. damnatio denotata est. Verba ergo *nullus* et *letalisi* effectum sacramentorum administrandorum qualificantia tantum ratione culpae, i. e. dependenter ex eo, utrum sacramenta ita ministrantes delicti a se commissi consci, an ignari sint, non vero ratione administrationis aut licitae aut invalidae inter se differunt, nam qui delicti sui consci sunt, in utroque casu damnationem merentur. Verbum autem *nullus* duplarem significationem habet, namque, ut ex supra dictis patet, sacramentorum administrationem a sacerdotibus haereticis illicite, eandem vero administrationem a laicis sive catholicis sive haereticis prorsus in valide factam denotat.

Hac tamen dupli nominis effectus significatione interim tantum gratiam et potestatem non sacramentalem denotanti, interdum vero praeter eas ipsam etiam validitatem sacramentorum respicienti, conclusiones de nomine effectus sacramentorum tantum ad gratiam et potestatem non sacramentalem denotandam a Gratiano saepe exhibito supra a nobis eductae minime infirmantur.

Etenim cum nominis *effectus* dupli significatione eodem modo res se habet atque cum verbo *administrare*, quod interdum potestatem sacerdotalem non sacramentalem, interdum vero potestatem sacramentalem significare supra demonstravimus, atque ex hoc de eodem verbo tantum potestatem non sacramentalem a potestate sacramentali a Gratiano saepe distinctam non significanti concludi non posse ostendimus.

Sed Gratianus etiam de hoc effectus genere speciali interim generales sententias profert, ut in prima parte § 5 dicti p. c. 97 C. I q. 1 vel in prima parte dicti p. c. 39 C. XXIV q. 1 positi et paulo supra relati, ubi de omnibus sacramentis una simul consideratis agit, interdum vero potestate sacerdotali modo

speciali disserit, ut in § 3 dicti p. c. 97 C. I q 1 vel in § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 allati, ubi hanc potestatem effectum sacramenti ordinis speciali modo sumptum esse tenet atque a sacramentali ordinis potestate distinguit. Magistrum igitur in primo casu de effectu sacramentorum late sumpto seu omnibus sacramentis accommodato, in secundo vero casu de effectu sacramenti ordinis stricte intellecto et nonnisi gratiam et potestatem non sacramentalem respicienti, utroque autem hoc effectu ab effectu sacramentorum generalissimo modo considerato, i. e. praeter fructuosam et licitam etiam validam sacramentorum administrationem significanti, distincto disserere concludendum est.

Gratiani autem enuntiationes sive generales sive speciales quae cumque aliis eius enuntiationibus quibusvis non permiscendae, sed ex his Magistri enuntiationibus specialibus diiudicandae sunt, in quibus quaestionum distinctiones, solutiones, et solutionum explicationes instar principii vel regulae cuiusdam communis dantur. Eiusmodi principium et regula in cuncta Quaestione 1 Causae I et in cuncta Quaestione 1 Causae XXIV recte intelligenda in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 et in § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 a Gratiano posita est. Ex hac igitur regula etiam recta interpretatio dependet sanctionum, quae sive in auctoritatibus Decreti continentur sive a Gratiano referuntur, atque admodum diversam et intellectu saepe difficilem formam praeferunt.

Quae cum ita sint, de effectu sacramentorum, ut ita dicam, vago, i. e. uno eodemque ex voluntate Ecclesiae interdum ipsam validitatem sacramentorum, interdum vero tantum gratiam et potestatem sacerdotalem non sacramentalem significanti eoque in quovis enumerato casu deficiente ex ipsa eadem voluntate Ecclesiae diversas ob causas iterum restituendo, ut quidam autumant, ex textibus Gratiani in Decreto contentis concludi non potest. Tali enim effectus notioni ipsa distinctio inter veritatem vel validitatem sacramentorum et eorum effectum solummodo gratiam et potestatem non sacramentalem comprehendentem multoties a Gratiano expresse facta atque constans Magistri opinio de sacramentis a quibusvis sacerdotibus in forma Ecclesiae semper valide celebratis, idcirco tantum ex sacramentali ordinis potestate numquam amittenda depentibus quam maxime obstant.

Quia autem in Quaestione prima Causae vicesimae quartae Gratianus problema de haereticorum ligandi et solvendi potestate solvens etiam de baptismi collatione et de Eucharistiae consecratione disserit, de quibus in Quaestione prima Causae primae ratione potestatis sacerdotalis habita iam ex professo sermo erat, etiam assertionem in dicto p. c.

40 C. I q. 1 allato positam aliis enuntiationibus Magistri in eadem Quaestione relatis pari attentione dignis praetermissis heic efferre iuvat. In laudato autem dicto legimus: „Potest ergo illud Augustini (sacramenta uidelicet Christi per hereticos ministrata suo non carer effectu) non de omnibus intelligi *generaliter*, sed de sacramento baptismatis.” Similitudo huius enuntiationis cum assertione in dicto p. c. 39 C. XXIV q. 1 adiuncto posita et supra relata: „Potest tamen illud Augustini de potestate baptizandi intelligi, non ligandi, aut soluendi, uel cetera sacramenta ministrandi” cuique patet.

Ut ex inquisitione hac constat, Gratianus in dicto p. c. 39 C. XXIV q. 1 posito potestatem tantum non sacramentalem ligandi vel solvendi, aut cetera sacramenta, praeter baptismum, ministrandi sacerdotibus haereticis amitti asserit.

Cum autem secundum Augustinum potestas sacramentalis consecratione danda haereticis amitti non possit, et Doctor ille Ecclesiae de potestate non sacramentali tantum ex permissione Ecclesiae dependenti disserat⁵⁹, de eadem vero potestate non sacramentali consecratione danda nihil dicat, mirum non est, quod Gratianus, qui, secus ac Augustinus, potestatem non sacramentalem etiam ex consecratione proveniri tenet, idcirco potestatem hanc seu exsecutionem sacramentalis potestatis ordinis in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi nomine effectus potestatis acceptae sacramento tenus, in § 1 autem dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 relati nomine virtutis sacramenti ordinis vocat eamque recedentibus ab Ecclesia amitti affirmat, et hoc modo Doctori illi Ecclesiae contradicit.

IV. De nomine effectus administrationem atque officium administrandi denotanti

De nomine effectus in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi potestatem non sacramentalem eamque amissibilem significanti ex eo etiam concludi potest, quod in dicto p. c. 23 C. I q. 7 adiuncto Gratianus nomine effectus administrationem vocat. Magister enim quaestionem examinans, an ordinati ab haereticis ad Ecclesiam redeuntes in eodem ordine iterum ordinari valeant, de assertione Gregorii Papae: „Sicut semel baptizatus iterum baptizari non debet, sic et semel consecratus iterum consecrari non potest” ait: „Sed illud Gregorii de his intelligitur, qui consecrationem sacerdotalem uel episcopalem acceperunt, qui aut per manus inpositiōnem, cum ad ecclesiam redeunt, effectum suae unctionis accipiunt, aut ab eius amministratione perpetuo cessare iubentur.”⁶⁰

⁵⁹ C. I q. 1 c. 97 p r i n c., § 1 et § 2; vide supra, pag. [9].

⁶⁰ Sententia Gregorii I, quae in § 1 dicti p. c. 23 C. I q. 7 a Gratiano,

Nomine ergo effectus unctionis eiusdem unctionis administratio significata est, ut ex his nominibus promiscue adhibitis patet. Quia autem, ut demonstratum est, potestas non sacramentalis nomine *exsecutionis* vel *administrationis* a Gratiano vocatur, cum in dicto p. c. 23 C. I q. 1 posito eodem administrationis nomine *effectus unctionis* nuncupetur, nomine *effectus potestatis acceptae sacramento tenus*, ut legimus in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 annexi, vel nomine *effectus unctionis*, ut in § 3 dicti p. c. 23 C. I q. 7 allati scriptum est, potestatem non sacramentalem eamque amissibilem a Magistro denotatam esse concludendum est.

Opinio de nomine effectus in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 allati potestatem non sacramentalem eamque amissibilem significanti etiam ex dicto p. c. 39 C. I q. 1 posito comprobari potest. Ibi enim generalis conclusio: „Sicut ergo sunt uera sacramenta hereticorum quantum ad formam, ita sunt uera et non inania quantum ad effectum” a Magistro educitur.

Haec tamen generalis conclusio per distinctionem inter sacramenta necessitatis et dignitatis atque per conclusiones particulares ita coarctatur: „Sed notandum... quod sacramenta *alia* sunt dignitatis, *alia* necessitatis... sacramenta, que saluti sunt necessaria, quia iterari non possunt, cum sint uera, auferri uel amitti non debent... sacramenta... dignitatis, nisi digne fuerint administrata... dignitates esse desinunt, non ut minuatur *ueritas sacramenti*, sed ut cesset *offitium administrandi*, uel loco, uel tempore, uel promotione.”

In assertione generali in hoc dicto a forma sacramenti effectus sacramenti distinguitur, in particulari vero assertione a veritate sacramenti ordinis officium administrandi hoc sacramentum secernit. Dependencia regulae generalis ex regula particulari liquet ex coniunctione adversanti *sed*, quae in casu coartationem denotat iudicii modo prolati.

In assertione generali sacramenta ratione utriusque elementi distinctionis vera esse dicuntur, in assertione vero particulari Gratianus sacramentum ordinis primi elementi verum, in secundo autem elemento diminutum esse concludit, scilicet in *officio administrandi*, quod cessavit. Sequitur ergo, ut nomine *effectus sacramenti ordinis* non solum gratia sacramentalis, verum etiam officium hoc sacramentum administrandi, i. e. potestas non sacramentalis eaque amissibilis a Magistro denotata sit.

Expressio enim de officio administrandi sacramentum ordinis expressioni de executione potestatis distribuendi sacros ordines similis est. Etenim id, quod Gratianus sacerdotibus amitti dicit, *exsecutio offici est*, ut patet ex § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi,

refertur et in § 3 eiusdem dicti explicatur, ex eiusdem Pontificis epistula 46 ao 592 scripta atque in D. LXVIII c. 1 contenta desumpta est.

vel officium administrandi, ut patet ex dicto p. c. 39 C. I q. 1 allato, vel administratio unctionis, ut ex § 3 dicti p. c. 23 C. I q. 7 adiuncti appareat.

Quia denique, ut supra animadversum est, notione officii potestas quaedam comprehenditur, et in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 allati nomine officii sacramentalis potestas ordinis significatur, cum in dicto p. c. 39 C. I q. 1 adiuncto nomine effectus sacramenti ordinis officium administrandi hoc sacramentum, i. e. potestas non sacramentalis eaque ammissibilis denotata est, nihil obstat, quominus in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 annexi nomine effectus eadem potestas non sacramentalis vocetur.

Ex eo autem, quod in ultimo casu nomine officii sacramentalis potestas ordinis, nomine vero effectus potestas non sacramentalis vocata est, sequitur, ut in applicatione distinctionis inter sacramentalem potestatem ordinis et potestatem non sacramentalem ibidem peracta et verbis: „Qui intra unitatem catholicae ecclesiae constituti sacerdotalem uel episcopalem unctionem accipiunt, officium et executionem sui officii ex consecratione adipiscuntur. Recedentes uero ab integritate fidei, potestatem acceptam sacramento tenus retinente, effectu suaे potestatis penitus priuantur” expressa, de eadem distinctione potestatis agatur ac in ipsa distinctione verbis: „intelligamus aliud esse potestatem distribuendi sacros ordines, aliud esse executionem illius potestatis” relata, atque tantum duobus elementis constanti, quorum alterutrum potestatem sacerdotalem, nimirum primum potestatem sacramentalem eamque inamissibilem, secundum vero potestatem non sacramentalem eamque inamissibilem denotet.

V. De effectu nomine virtutis denotato potestatem ecclesiasticam non sacramentalem significanti

Nomine effectus praemium aeternae salutis vel virtutem sacramenti a Gratiano denotatam esse iam supra animadvertisimus. De nomine autem virtutis sacramenti ordinis secundum Magistrum potestatem non sacramentalem denotanti ex similitudine essentis Augustini cum enuntiatione Gratiani concludi potest.

In auctoritate enim Augustini in C. I q. 1 c. 97 § 2 relata haec legimus: „Nam si quando ex ipsa parte uenientes etiam prepositi pro bono pacis, correcto scismatis errore, suscepti sunt, etsi uisum est opus esse, ut eadem officia gererent, que agebant, non sunt rursus ordinandi, sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra, quia in precisione fuerat uicium (quod unitate pacis est correctum), non in sacramentis, que ubicumque sunt ipsa sunt. Et cum ipsis expedire uidetur ecclesiae, ut prepositi eorum, uenientes ad catholicam societatem honores suos ibi non administrent, non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed manent

super eos. Ideoque non eis manus inponitur, ne non homini, sed ipsi sacramento fiat iniuria."

Huic assertioni Augustini enuntiatio Gratiani in § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 adiuncti relata similis est: „Unde ab hereticis baptizati uel ordinati, cum ad unitatem fidei catholicae redierint, si forte intuitu ecclesiasticae pacis *in suis recipiantur ordinibus*, non iterabitur sacramentum, quod in forma ecclesiae probabitur ministratum, sed per impositionem manus prestabitur *virtus sacramenti*, que extra ecclesiam nulli docetur esse collata.”

Similitudo autem harum enuntiationum in eo consistit, quod in utroque casu de sacerdotibus haereticis ad Ecclesiam redeuntibus, de sacramento ordinis eis non iterando, de receptione eiusmodi sacerdotum cum administratione suorum officiorum vel honorum ab Ecclesia permissa aut denegata vel, quod idem est, de susceptione eorum *in suis ordinibus*, atque de bono pacis eodem in utroque casu motivo tales sacerdotes in ordinibus suis recipiendi agatur.

Ex indicata similitudine hae conclusiones educi possunt: Quia Augustinus in principio, et in § 1 c. 97 C. I q. 1 de sacramentali ordinis potestate, in allato vero supra fragmento ex § 2 eiusdem capituli desumpto etiam de potestate ecclesiastica non sacramentali eaque amissibili disserit, Gratianus, qui hoc fragmentum in suam argumentationem inserit idque ut propriam sententiam refert, ipsam Augustini distinctionem inter sacramentalem ordinis potestatem et potestatem non sacramentalem ignorare non potuit.

Cum igitur Augustinus de administratione officiorum vel honorum sacerdotibus ex haeresi ad Ecclesiam redeuntibus permittenda aut interdicenda disserat, Gratianus autem idem Augustini fragmentum abbreviato modo suisque propriis verbis repetens de virtute sacramenti ordinis eiusmodi sacerdotibus praestanda dicat, inde sequitur, ut nomine *virtutis* sacerdotalium officiorum administrationem ab Ecclesia permissam denotet, quam potestatem non sacramentalem et amissibilem, nam amittendam et recuperandam, esse intelligat.

Immo ex promiscuo usu expressionum: *in ordinibus suis suscipi, officia gerere, honores suos administrare*, ab Augustino adhibitatum de earum simili significatione concludi potest. Etiam ex promiscuo usu expressionum: *in suis ordinibus recepi, et praestabitur virtus sacramenti*, a Gratiano introductory de earum simili significatione concludi potest, idcirco nomine *virtutis* sacramenti ordinis praestandae receptionem clericorum in suis ordinibus vel permissionem, ut clerici officia sua gerant seu honores suos administrent, a Magistro denotatam esse concludendum est.

Sane fragmentum ex § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 annexi excerptum et supra relatum a fragmento ex auctoritate Augustini in § 2 c. 97 C. I q. 1 desumpto et supra citato differt. Augustinus enim de manu sacerdotibus ex haeresi redeuntibus non im-

nenda, ne ipsi sacramento iniuria fiat, scribit. Gratianus autem de *virtute sacramentali*, quae extra Ecclesiam nulli collata esse doceatur, eiusmodi sacerdotibus per manus impositionem praestanda disserit.

Non tamen est, quod miremur. De alia enim manus impositione Augustinus, nempe de sacramentali, de alia vero manus impositione, nempe non sacramentali, Gratianus loquitur. Magister enim, qui sacramentales ordinis gradus non amittendos atque etiam extra Ecclesiam valide dandos, necnon, similiter ac Augustinus, manum sacramento tenus iterum non imponendam esse tenet, ab ea tamen manus impositionem sacerdotibus ex haeresi redeuntibus adhibendam non sacramentalem characterem habentem distinguit⁶¹.

Gratianus id, quod sacerdotibus suspensis, degradatis, depositis, et haereticis amittitur, in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi nomine *potestatis*, in § 3 autem eiusdem dicti nomine *effectus* potestatis sacramento tenus acceptae appellat, id vero, quod sacerdotibus restituitur vel id, quod praestatur quodque numquam extra Ecclesiam habuerunt, in § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 allati nomine *virtutis* sacramenti ordinis vocat et permissionem officia sacerdotalia administrandi esse intelligit.

Quia autem ut secundum Augustinum, sic secundum Gratianum sacramentalis potestas ordinis amitti non potest, et quia sacerdotibus ex haeresi ad Ecclesiam redeuntibus id restitui intelligitur, quod recedentes ab Ecclesia amiserunt, Gratianum nomine *virtutis* sacramenti ordinis sacerdotibus ex haeresi ad Ecclesiam redeuntibus praestandae potestatem non sacramentalem denotasse eumque nomina *effectus* potestatis sacramento tenus acceptae et *virtutis* sacramenti ordinis promiscue adhibuisse concludendum est. De promiscuo enim nominum *effectus* et *virtutis* usu iam ex eo patet, quod Gratianus iam de effectu unctionis sacerdotalis, iam vero de virtute sacramenti ordinis disserit.

Magister tamen de effectu potestatis sacramento tenus acceptae, non vero de virtute sacramentalis potestatis ordinis loquitur. Sed ex hoc Gratianum aliam nomine *effectus*, aliam vero nomine *virtutis* rem denotasse concludi non potest. Etenim in auctoritatibus Decreti, quas Gratianus noverat, nomina *effectus* sacramenti et *virtutis* sacramenti saepe promiscue adhibentur, in auctoritate autem Isidori in c. 20 C. XXIII q. 5 relata etiam de *virtute potestatis* legimus.

Quia igitur id, quod sacerdotibus suspensis, degradatis, depositis, et haereticis amitti vel non haberi, restitui vel praestari dicitur, in dicto p. c. 97 C. I q. 1 allato⁶² *potestas*, *executio*, *effectus*, in

⁶¹ Dictum Gratiani p. c. 73 C. I q. 1: „Ex eo autem, quod manus inposito iterari precipitur, sacramentum non esse ostenditur.”

⁶² Vide supra, pag. [11—13].

dicto autem p. c. 37 C. XXIV q. 1 posito⁶³ *exsecutio, administratio, et virtus sacramenti ordinis*, in dicto vero p. c. 39 C. XXIV q. 1 adiuncto⁶⁴ *potestas sententiae*, i. e. potestas iudicandi, et *effectus sacramentorum* a Gratiano vocatur, eum omnibus his nominibus promiscue adhibitis eandem potestatem sacerdotalem non sacramentalem eamque amissibilem sive simul cum gratia sive sine gratia sacramentali denotasse procul dubio concludendum est.

Sed significatio nominum: *virtus*, et *effectus*, promiscue adhibitorum, non solum in solutione quaestione de haereticorum excommunicandi potestate in dictis p. c. 37 et p. c. 39 C. XXIV q. 1 annexis data, verum etiam in cuncta Quaestione prima Causae vicesimae quartae, ubi simile problema de potestate sacerdotali pertractatur, demonstrari potest.

Cum enim in cuncta Quaestione praefata Gratianus agat: de *sacramentis ab haereticis ministratis nullum, excepto baptismo, effectum habentibus*⁶⁵; atque de *virtute Christi in peccatis dimittendis vel tenendis necessaria; de Paulo Apostolo virtute Christi fornicatorum in interitum carnis sathanae tradenti; de fideli nonnisi Domini virtute cooperante aliquid operari valenti*⁶⁶; de *virtute sacramenti, quae extra Ecclesiam nulli collata esse docetur, in Ecclesia praestanda*⁶⁷; necnon de *potestate ligandi vel solvendi haereticis variis modis abiudicata, eum in omnibus his expressionibus promiscue adhibitis et verbis: non potest, non valet, potestatem non habet, et similibus qualificatis*⁶⁸ sub nominibus sive *effectus* sive *virtutis* sive *exsecutio* sive *administrationis* sive *potestatis de potestate ecclesiastica non sacramentali eaque amissibili disserere* concludendum est.

Quia autem expositio Gratiani in C. I q. 1 relata expositioni in C. XXIV q. 1 contentae ratione thematis, argumentandi modi, atque ratione ipsarum expressionum similis est, cum Magister in C. I q. 1 disserat: de *sacramentis ab haereticis ministratis, excepto baptismo, effectu parentibus*⁶⁹; de *sacramento dignitatis ab haereticis ministrato eoque effectu parenti*⁷⁰; de *effectu potestatis sacramento tenus acceptae*⁷¹; de *integro unctionis effectu*⁷²; de *sacerdotalis*

⁶³ Vide supra, pag. [78].

⁶⁴ Vide supra, pag. [97] nota. 6.

⁶⁵ In dicto Gratiani p. c. 39 C. XXIV q. 1; ibidem.

⁶⁶ In § 1 dicti Gratiani p. c. 4 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. [77].

⁶⁷ In § 1 dicti Gratiani p. c. 37 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. [78].

⁶⁸ Sanctiones eiusmodi in dictis C. XXIV q. 1 a Gratiano relatas vide supra, pag. [76—78].

⁶⁹ Dictum Gratiani p. c. 45 C. I q. 1; vide supra, pag. [102] nota 15.

⁷⁰ Dictum Gratiani p. c. 96 C. I q. 1; vide supra, pag. [94].

⁷¹ In § 3 dicti Gratiani p. c. 97 C. I q. 1; vide supra, pag. [11].

⁷² Dictum Gratiani p. c. 98 C. I q. 1; vide supra, pag. [96] nota 2.

*unctionis effectu*⁷³; de *officio administrandi cessanti*⁷⁴; de *ordinatione vana et sine administratione*⁷⁵; de *cessatione ab administratione, quae pro necessitate temporis permissa est*⁷⁶; de *clerico in suo ordine perseveranti*; de *sacramento ordinis interdicto vel dene-gato*; de *episcopo, qui aliquando cuncta sacramenta administrare potest, et solum ordinis sacramentum conferre non valet*⁷⁷; de *eo, qui cetera sacramenta sacerdotaliter administrare permittitur, et tantum a sacramento ordinis removetur*⁷⁸; de *sacerdotio clericis, ut prae-sint dando*⁷⁹; de *sacramentis, quae, praeter baptismum, ab haereticis ministrari non possunt*⁸⁰; de *haereticorum sacerdotiis non ratis*⁸¹; de *nulla potestate sacrificandi suspenso vel deposito sacerdoti re-licta*; de *degradato episcopo potestatem largiendi sacros ordi-nes non habenti*; de *exsecutione potestatis distribuendi sacros ordi-nes; et de exsecutione officii*⁸², eum his expressionibus non solum sanctiones auctoritatum retulisse, verum etiam ipsas has sanctiones, illis severissimis non exceptis, ut in C. I q. 1⁸³, sic in C. XXIV q. 1 contentas, tantum id, quod in sacramentis amissibile est, nimirum eorum *effectum vel virtutem* non solum gratiam, sed etiam potestatem non sacramentalem comprehendentem respicere, ad validitatem vero sive sacramentorum, excepta poenitentia, sive ad sacramentalem potestatem nullatenus referen-das esse intellexisse concludendum est.

VI. De effectu potestatis sacramentalis exemplo „operis coniugalis“ illustrato

Conclusioni de nomine *effectus* potestatem ecclesiasticam non sacramentalem denotanti ex ipsa assertione de recendentibus ab Ecclesia potestatem acceptam sacramento tenus retinentibus effectu

⁷³ Dictum Gratiani p. c. 106 C. I q. 1; vide supra, pag. [96] nota 5.

⁷⁴ Dictum Gratiani p. c. 39 C. I q. 1; vide supra, pag. [23] nota 6.

⁷⁵ Dictum Gratiani p. c. 40 C. I q. 1; vide supra, pag. [110] nota 11.

⁷⁶ Dictum Gratiani p. c. 39 C. I q. 1; vide supra, pag. [23] nota 6. — Dicta Gratiani p. c. 40 et p. c. 41 C. I q. 1; vide supra, pag. [101] nota 11.

⁷⁷ Dictum Gratiani p. c. 43 C. I q. 1; vide supra, pag. [53] pag. 10 nota 11.

⁷⁸ Dictum Gratiani p. c. 43 C. I q. 1; vide supra, pag. (53) nota 16.

⁷⁹ Dictum Gratiani p. c. 43 et p. c. 44 C. I q. 1; ibidem.

⁸⁰ Dictum Gratiani p. c. 60 et p. c. 74 C. I q. 1; vide supra, pag. [102] nota 20.

⁸¹ Dictum Gratiani p. c. 74 C. I q. 1; ibidem.

⁸² In § 2 et § 3 dicti Gratiani p. c. 97 C. I q. 1; vide supra, pag. [11].

⁸³ Sanctiones in simoniacos et haereticos in auctoritatibus C. I q. 1 latae vide supra, pag. [105—106].

vero huius potestatis parentibus in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi exemplo coniugatorum ab invicem separatorum a Gratiano illustrata obici possit. Ibi enim legimus: „Recedentes uero ab integritate fidei, potestatem acceptam sacramento tenus retinent, effectu suae potestatis, penitus priuantur, sicut coniugati ab invicem discedentes coniugium semel initum non dissoluunt, ab opere tamen coniugali inueniuntur alieni.”

Quia autem ex eo, quod Gratianus recedentes ab Ecclesia effectu suae potestatis sacramentalis penitus privatos esse dicit simili modo atque coniugatos ab invicem discedentes, qui coniugium non dissolvunt, ab opere tamen coniugali alieni sunt, nominibus *exsecutio* et *effectus* in eodem § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi parallelo modo adhibitis opus perficiendum vel actionem peragendam, non vero potestatem in casu a Magistro denotatam esse concludi possit, quid iste sub nomine *opus coniugale* intelligat, examinandum est.

Opus coniugale, de quo in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 et in dicto introductorio q. 4 C. XXXIII sermo est⁸⁴, *actus coniugalis*⁸⁵, *debitum*⁸⁶, vel *coniugale debitum*⁸⁷, vel *coniugii debitum*⁸⁸, *officium*, vel *officium corporalis commixtionis*⁸⁹, vel

⁸⁴ Dictum introductorium q. 4 C. XXXIII: „Quod autem orationis tempore *coniugali operi* alicui uacare non liceat, B. Ieronimus, scribit...”

⁸⁵ Dictum Gratiani p. c. 3 C. XXXII q. 2: „Non autem datur presentia S. Spiritus tempore, quo *coniugales actus* geruntur.”

⁸⁶ Dictum Gratiani p. c. 18 C. XXVII q. 2: „Item Apostolus (I Cor 7, 3) precipit, ut uxor reddat *debitum* uiro, et uir uxori, nisi forte ex *consensu* ad tempus, ut expeditius uacent orationi. Unde datur intelligi, quod *sine consensu* alterius *non licet* alteri uacare orationi. § 1. Item propositum melioris uitae uir sumere *non potest sine consensu* uxoris, et e conuerso.” — Dictum Gratiani p. c. 2 C. XXXIII q. 1: „....Ceterum si uir asseruerit, se reddidisse *debitum* uxori, et illa diffutetur, cui potius habenda sit fides merito queritur.”

⁸⁷ Dictum Gratiani p. c. 2 C. XXXI q. 1: „§ 1. Illud uero Leonis Papae de ea intelligendum est, que a uiro suo non erat repudiata, cuius uiuebat uir, reddens ei *coniugale debitum*.” — Dictum Gratiani p. c. 3 C. XXXIII q. 1: „Ecce, quod impossibilitas reddendi *debitum* uinculum solvit coniugii. Sed hoc de naturali impossibilitate statutum est. Hec autem maleficiti impedimento, non frigiditate naturali *debitum coniugale* prohibente, a uiro suo separata est.”

⁸⁸ Dictum introductorium C. XXXIII (Qu. IV) (Quarto quaeritur; KN), si tempore orationis quis ualeat reddere *coniugii debitum*? (Qu. V) Quinto, an uir sine *consensu* uxorius continenciam uouere possit, uel si minis uel terroribus *licentiam* ueuendi ab ea extorquere *ualeat*?”

⁸⁹ Dictum Gratiani p. c. 39 C. XXVII q. 2: „§ 1. Sed obicitur illud Augustini (cf. C. XXVII q. 2 c. 3): ‘Inter Mariam et Ioseph fuit perfectum coniugium.’ Sed perfectum intelligitur non *ex officio*, sed ex his, que comitantur coniugium, ex fide uidelicet, prole et sacramento... Cuncta ergo, que de non separando coniugio inducta sunt, de perfecto intelliguntur, quod sponsali coniunctione est initiatum, et *officium corporalis commixtionis* est consummatum. Illa uero, quibus separabile coniu-

coniugale officium a Gratiano vocatur⁹⁰.

Ut ex nominibus *debitum coniugale* et *officium coniugale* in dicto *introductorio* q. 1 C. XXXIII promiscue adhibitis patet, Magister *debitum coniugale* idem ac *officium esse tenet*⁹¹ in eo consistens, quod aequem mulier *potestatem viri*, sicut et vir mulieris *potestatem* habet⁹².

Quia igitur nomen *opus coniugale* in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 annexi adhibitum, quod *exsecutionem potestatis coniugalis significat* et *potestatis notam in se insitam habet*⁹³, nomini *exsecutionis potestatis* distribuendi sacros ordines vel nomini *exsecutionis officii ordinis* potestatem denotanti simile est, inde efficitur, ut etiam nomine *effectus potestatis* sacramento tenus in ordinatione acceptae cum *opere coniugali* comparato potestas sacerdotalis a Gratiano nuncupata sit.

Quia autem ut illi, qui ab opere vel officio coniugali alieni inventiuntur, coniugium initum non dissolvunt, sic hi, qui *exsecutionem officii sacerdotalis* non habent, sacramento ordinis et eiusdem sacramentali potestate non destituuntur, potestatem, quam

gium ostenditur, de initiatu intelliguntur, quod nondum *offitio sui perfectum est.*⁹⁴

⁹⁰ Dictum Gratiani p. c. 1 D. XXXI: „...ministris itaque altaris, quibus cotidiana necessitas orandi incumbit, numquam *coniugali offitio uacare permittitur.*”

⁹¹ Dictum *introductoriorum* q. 1 C. XXXIII: „Quod autem propter impossibilitatem reddendi *debitum* mulier a uiro suo separari non possit, auctoritate euangelica et apostolica probatur... Item Apostolus (Rom 7, 1): 'Mulier, quanto tempore uiuit uir eius, alligata est legi ipsius,' non legi reddendi sibi *debitum*, sed non transferendi se ad alium... Unde datur intelligi, quod impossibilitas reddendi *debitum* non facit discidium coniugii. § 1. His ita respondetur: Coniugium confirmatur *offitio*, ut supra probatum est; postquam uero *offitio* confirmatum fuerit, nisi causa fornicationis non licet uiro uxorem dimittere, uel uxori a uiro discedere. Verum ante, quam confirmetur, impossibilitas *offitii* soluit uiaculum coniugii.”

⁹² Dictum Gratiani p. c. 11 C. XXXIII q. 5: „Ex premissis apparet, quod continentiae uota nec mulier sine uiri *consensu*, nec uir sine mulieris *consensu* Deo reddere potest. Si autem *consensu* alterius eorum ab altero promissa fuerit, et si postmodum in irritum deducere uoluerit qui *permisit*, non tamen ualeat, quia in *debito coniugii* eque mulier habet *potestatem uiri*, sicut et uir mulieris; atque ideo, si quilibet eorum alterum a suo *iure* absolverit, ad preteritam *seruitutem* ipsum reuocare non poterit. Quia uero in ceteris uir est caput mulieris, et mulier corpus uiri, ita uota abstinentiae uiro *permittente* mulier potest promittere, ut tamen eodem *prohibente* repromissa non ualeat inplere, et hoc, ut diximus, propter *condicionem seruitutis*, qua uiro in omnibus debet *subesse.*” — Dictum *introductoriorum* q. 5 C. XXXIII: „Quod autem sine *consensu* uxoris uir continentiam uouere non possit, multis auctoritatibus probatur.”

⁹³ Ut ex comparatione patet horum Gratiani dictorum: dicti *introductoriorum* q. 4 C. XXXIII, dicti p. c. 18 C. XXVII q. 2, dicti *introductoriorum* C. XXXIII, dicti *introductorii* q. 1 C. XXXIII, et dicti p. c. 11 C. XXXIII q. 5; vide supra, nota 84, 86, 88, 91 et 92.

amittunt, nominibus *exsecutionis* vel *effectus* vocatam in § 3 eiusdem dicti promiscue adhibitis, non sacramentalem esse concludendum est.

**VII. De notarum exsecutionis nomen atque nomina synonyma
qualificantur eadem inde et diversa forma**

Ex promiscuo usu nominis *exsecutionis*, verbi *exsequi*, et aliorum verborum supra indicatorum, ut de exsecutione, sic de omnibus his verbis non solam actionem, neque ipsius potestatis solam in actum deductionem denotantibus concludi potest. Etenim verba haec nota qualificanti ipsam potestatem habitam vel non habitam denotanti, ut: *interdicere*, *licere*, *nihil licere*, *non licere*, *non posse*, *non valere*, *posse*, *prohibitio*, *ratum esse*, *valere*, a Gratiano praedita sunt.

En huiusmodi nota e qualificantes secundum earum similitudinem ordinatae:

interdicere, *prohibere*, *prohibitio*: *potestatis exsecutio interdicitur*⁹⁴; *prohibentur ab administratione ecclesiastica*⁹⁵; *officium contra prohibitionem episcopi celebrare*⁹⁶;

licere, *non licere*: *an liceat ei fungi ordinatione*⁹⁷; *monachis nihil agere licet*; *monachis nihil liceat agere*⁹⁸; *nulli sacerdotum licet parochianum alterius ligare vel solvere*⁹⁹;

posse, *non posse*: *damnare non poterat*¹⁰⁰; *neminem damnare potuit*; *non potest deicere quemquam*¹⁰¹; *nec ligare, nec solvere possunt*, *nec reconciliando ecclesiasticae communioni reddere, nec excommunicando eius societate privare*¹⁰²; *officia populis celebrare non possint*¹⁰³; *officio fungi non poterit*¹⁰⁴; *non potest oris gladio*

⁹⁴ In § 3 dicti Gratiani p. c. 40 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [54] nota 18.

⁹⁵ Dictum Gratiani p. c. 4 C. I q. 7; vide supra, pag. [59] nota 36.

⁹⁶ Dictum introductorym q. 3 C. XI: „...queritur, utrum sit deponendus qui officium contra prohibitionem episcopi celebrare ausus est?”

⁹⁷ Dictum introductorym q. 5 C. I; vide supra, pag. [67] nota 8.

⁹⁸ Dictum Gratiani p. c. 39 C. XVI q. 1: „§ 1. Item illud Ieronimi ...ad Rusticum: 'Sine consilio presbiterorum monachis nichil agere licet.'”

⁹⁹ Dictum Gratiani p. c. 40 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [54] nota 16. — Dictum Gratiani p. c. 19 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [67] nota 7.

¹⁰⁰ Dictum Gratiani p. c. 3 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. [76].

¹⁰¹ Dictum Gratiani p. c. 3 et p. c. 4 C. XXIV q. 1; *ibidem*.

¹⁰² In § 1 dicti Gratiani p. c. 4 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. [77].

¹⁰³ Dictum introductorym q. 1 C. XVI: „Quod monachi officia populis celebrare non possint, multis auctoritatibus probatur...”

¹⁰⁴ Dictum Gratiani p. c. 4 C. I q. 7; vide supra, pag. [59] nota 36.

ferire¹⁰⁵; peccata non posse tenere vel remittere¹⁰⁶; sacramenta ministrari non possint; sacramenta ministrari non possunt¹⁰⁷; sententiam dare non potest¹⁰⁸;

ratum esse: qui quidquid pro officio suo facit ratum esse creditur¹⁰⁹;

valere, non valere: excommunicare non valet¹¹⁰; nec deicere aliquem valet nec damnare¹¹¹; legitime potestatem suam exequi valent; potestatem suam exequi valeant¹¹².

Quae igitur his expressionibus interdicta vel prohibita esse dicuntur, *administratio ecclesiastica, exsecutio potestatis, ligatio et solutio, officii celebratio, et quaeviis actio sacerdotalis* est. Quae autem sacerdos facere non posse dicitur, *damnatio, deiection, excommunication, ligatio et solutio, officii celebratio, officio fungi, oris gladio ferire, peccatorum retentio vel remissio, reconciliatio, sacramentorum ministratio, et sententiae prolatio* est. Quae deinde sacerdos facere valere vel non valere dicitur, *damnatio, deiection, excommunication, potestatis sacerdotalis legitima exsecutio vel simpliciter potestatis exsecutio* est. Quae denique rata esse dicuntur, ea sunt, quae criminosis sacerdos catholicus vel *pro officio suo facit*.

Ut patet, omnes notae potestatem habitam vel non habitam significantes hic enumeratae ad idem obiectum, nempe ad potestatis sacramentalis exsecutionem seu ad diversorum officiorum sacerdotium administrationem permissam vel prohibitam referuntur. Sacerdos enim interdum exsecutionem suaee potestatis sacramentalis interdictam habere vel eandem potestatem exequi non valere, interdum ligationem et solutionem interdictam habere vel perficere non posse, interdum vero officii celebrationem sibi interdictam habere et peragere non posse asseritur.

Similiter omni actione sacerdotibus generali modo prohibita eiusdem actionis genera singula comprehensa sunt, ut: *damnare, deicere, excommunicare, oris gladio ferire, peccata retinere vel remittere, reconciliare, sacramenta ministrare, sententiam proferre*, quae omnia aliqui sacerdotes facere non posse dicuntur.

Cum deinde *licere vel non licere* nonnisi id denotet, quod ali-

¹⁰⁵ Dictum Gratiani p. c. 37 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. [78].

¹⁰⁶ Dictum Gratiani p. c. 4 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. [76—77].

¹⁰⁷ Dictum Gratiani p. c. 60 et p. c. 74 C. I q. 1; vide supra pag. [102—103] nota 20.

¹⁰⁸ Dictum Gratiani p. c. 4 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. [76—77].

¹⁰⁹ Dictum Gratiani p. c. 75 C. I q. 1; vide supra, pag. [23] nota 9.

¹¹⁰ Dictum Gratiani p. c. 3 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. [76].

¹¹¹ Dictum Gratiani p. c. 37 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. [78].

¹¹² Dictum Gratiani p. c. 25 et p. c. 36 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [58] nota 33.

quatenus vel permissum vel interdictum seu prohibitum est, et congruenter cum eiusmodi permissione vel prohibitione aliquis aliquid facere posse vel non posse, facere valere vel non valere dicatur, cum denique id, quod aliquis facit, ab auctoritate permittenti vel prohibenti ratum esse vel ratum non esse iudicetur, sequitur etiam, ut omnibus eiusmodi expressionibus eadem potestas denotata sit, quamvis variis rationibus considerata, i. e. ratione aut personae agentis, aut actus ab ea positi, aut utriusque simul.

Denique ex variis exemplis supra allatis notam potestatis non tam in ipsis verbis: *agere, celebrare, damnare, dare, deicere, excommunicare, exsequi, fungi, ligare vel solvere, oris gladio ferrire, peccata tenere vel remittere, privare, reconciliare, reddere, sacramenta ministrare, sententiam dare*, quam potius in verbis expressiones has ratione potestatis qualificantibus, ut: *interdicitur, prohibetur — permittitur; licet — non licet; potest — non potest; ratum est — ratum non est; valet — non valet, insitam esse constat.*

Saepe tamen fit, ut praefata verba, praesertim autem *exsecutio nis nomen, pro ipsis notis qualificantibus potestatem denotantibus accipientur, ut exsecutionem non habent, etc.* Quo in casu verba haec, nisi aliud constet, etiamsi nota potestatem indicanti praedita non fuerint, potestatem significant.

Quia autem sacramentalis potestas secundum Gratianum adimi, amitti, vel minui non potest, sive *exsecutio nis nomine sive omnibus memoratis sanctionibus ademptionem, amissionem, minutionem seu interdictionem, prohibitionem, aut permissionem vel restitutionem quovis modo significantibus nonnisi potestatem sacerdotalem non sacramentalem eamque tantum amissibilem a Magistro denotatam esse concludendum est.* Praeterea de nominum et verborum potestatem sacerdotalem denotantium vi atque voluntate ex duplice huius potestatis tradendae in instituto, ordinis nempe collatione vel institutione quovis modo annotata diiudicandum est.

VIII. Quaestio specialis

Significatione nominum in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 adhibitorum examinata Gratianum nominibus: *potestas distribuendi sacros ordines, officium, et potestas accepta sacramento tenus, promiscue adhibitis sacramentalem ordinis potestatem eamque inamissibilem, nominibus vero: exsecutio potestatis distribuendi sacros ordines, exsecutio officii, et effectus potestatis acceptae sacramento tenus, similiter promiscue adhibitis, potestatem ecclesiasticam non sacramentalem eamque amissibilem denotasse concludendum est.*

Huic tamen conclusioni ita obici possit: Gratianus in obiectione contra Augustinum in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 annexi relata potestatem sacerdotibus degradatis amittendam nomine po-

testatis sacros ordines largiendi vocat ita scribens: „*Degradatus enim episcopus potestatem largiendi sacros ordines non habet...*” Cum autem Magister ad potestatem sacramentalem denotandam in § 3 eiusdem dicti simili expressione utatur, scilicet: „*intelligamus aliud esse potestatem distribuendi sacros ordines...*”, sequi inde possit, ut de una eademque, nam similibus nominibus denotata, potestate sacramentali in utroque casu agatur.

Sed talis conclusio opinioni Gratiani de sacramentis a quibusvis sacerdotibus indignis in forma Ecclesiae celebratis ratione sui validis contraria esset. Cum enim Magister sacramenta ab haereticis ministrata ratione sui valida esse saepe asserat, idcirco et sacramentalem ordinis potestatem eis non amittendam esse teneat, omnino incongruum est eum potestatem, quam haereticis non abiudicat, sacerdotibus degradatis, qui catholici sunt, abudiicare.

Deinde assertio Gratiani in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi de potestate sacros ordines largiendi episcopo degradato amissa in quaestione de sacramento ordinis ab haereticis ministrato tantum effectu carenti in dicto p. c. 96 C. I q. 1 introducta consideratur, ergo de sacramentali potestate ordinis amittenda intelligi non potest.

Denique, sive in casu potestatis sacramentalis sive potestatis non sacramentalis de eadem sacramentorum administratione agitur, quamvis sub alio respectu in primo, sub alio vero in secundo casu considerata, idcirco ubi aliae rationes utramque potestatem discernendi absunt, nihil impedit, quominus utraque diversa potestas simili nomine vocetur. Huiusmodi autem rei exemplum supra indicatum est, ubi eodem *administrationis* nomine interdum potestatem non sacramentalem, interdum vero sacramentalem quoque ordinis potestatem vocatam esse demonstravimus¹¹³.

Insuper conclusioni de duabus tantum potestatibus in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi a Gratiano distinctis, alia scilicet sacramentali, alia vero non sacramentali, ita etiam obici possit: Magister inter officium in consecratione sacerdotali vel episcopali acceptum et exsecutionem huius officii ibidem distinguens, utrum nomine officii sacramentale, an non sacramentale officium intelligat, expresse non dicit. Quia autem in aliis locis Gratianus de officio loquitur, quod iam sacramentalem, iam vero non sacramentalem characterem habet, de quonam officio in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi disserat, incertum videri possit.

Immo Magistrum nomine officii in casu officium sacramentale denotasse concludi possit. Etenim cum distinctio inter potestatem sacramentalem et potestatem non sacramentalem iam ab Augustino apprehensa Gratiano nota esset, eum Doctori illii Ecclesiae ratione

¹¹³ Vide supra, pag. [72—74].

potestatis reluctantem potius ope distinctionis duplicis potestatis non sacramentalis, quam ope distinctionis inter potestatem sacramentalem et potestatem non sacramentalem ab Augustino admissae resistere conveniebat. Quae obiectio ita etiam confirmari possit: Exsecutio in sensu potestatis non sacramentalis a Magistro intellecta sacerdotibus suspensis, degradatis, depositis, et haereticis deficiens administrationem sacramentorum, excepto baptismo, ab eiusmodi sacerdotibus peractam interim tantum illicitam, interdum vero etiam invalidam esse ex voluntate Ecclesiae, utroque in casu diversa, efficere posse videtur, ex quo tamen sequitur, ut in ipso ambitu non sacramentali duplex praefatae exsecutio species a Gratiano agnita admittenda sit.

Huic tamen obiectio ita responderi potest: Gratianum Augustino sacramentalem ordinis potestatem et potestatem non sacramentalem agnoscenti per multiplicationem potestatis non sacramentalis repugnare necesse non erat, iam enim sola diversa potestatis non sacramentalis notio vel eiusdem potestatis diversa ab utroque viro docto agnitus fundamentum eiusmodi oppositionem iustificabat, cuius rei casus in dicto p. c. 97 C. I q. 1 pisito reapse habetur.

Ipsa enim oppositio Gratiani in ambitu potestatis sacerdotalis distinguendae Augustino facta ita intelligenda est, ut eadem inter potestatem sacramentalem et potestatem non sacramentalem distinctio alio modo ab Augustino, alio vero a Gratiano diversis sacramentis applicata sit, ut ex § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi et ex dicto p. c. 39 C. XXIV q. 1 relato manifeste patet. Namque Gratianus Doctori illi Ecclesiae ex similitudine baptismi et ordinis a potestate baptizandi ad potestatem ordines conferendi argumentanti ibidem contradicit, et nomine effectus sacramenti ordinis, secus ac Augustinus, qui hoc nomine tantum gratiam sacramentalem denotat, Magister non solum gratiam, verum etiam potestatem ecclesiasticam non sacramentalem eamque amissibilem comprehensam esse, atque secus ac Augustinus, in consecratione sacerdotali non solum potestatem sacramentalem, sed etiam potestatem non sacramentalem dari asserit.

Deinde, si in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 allati Gratianum nomine *potestatis sacramento tenus acceptae* potestatem sacramentalem significasse, nomine vero *officii*, a quo potestas non sacramentalis nomine *exsecutionis officii* vocata distinguitur, potestatem non sacramentalem seu huius potestatis species duas denotasse admissions, Magistrum ibidem distinctionem triplici elemento constantem peregisse admittere quoque deberes, quod tamen formulae: „*aliud esse... aliud esse...*” tantum distinctionem dupli elementi constanter significanti neconon cuncto distinguendi modo a Gratiano stricte observato aperte adversum esset.

His omnibus consideratis Gratianum in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi nominibus: *potestas distribuendi sacros ordines, officium, et potestas accepta sacramento tenus*, potestatem ordinis sacramentalis eamque inamissibilem, nominibus vero: *exsecutio potestatis distribuendi sacros ordines, exsecutio officii, et effectus potestatis acceptae sacramento tenus*, potestatem ecclesiasticam non sacramentalis eamque amissibilem denotasse, atque tantum inter duas has potestates distinxisse procul dubio concludendum est.

(*continuabitur*)